OPERUM
BENEDICTI MENZINI

Tomus Quintus

COMPLECTENS

QUAE

TUM SOLUTA ORATIONE

TUM VERSIBUS

LATINE SCRIPTA SUNT.

FIRENZE

PRESSO GASPERO RICCI

1819.

LECTORI

SALUTEM.

Videor mihi, Amice Lector, in ea incidisse tempora, in quibus Poetae nomen non utilitati quidem, sed magno detrimento esse censeatur. Et quamvis ea, ut ita dicam, ingeniorum calamitate alias fuerit laboratum, nihilominus omnia in deterius vulgi opinione trahente, in veterem morbum nova, eaque praecipua nostro hoc aevo fit in dies offensio. Cui quidem occurrere visum est; et si probe novi, mentis pervicaciam nullis flecti argumentis, nulla eloquentiae levitate molliri. Gratiam certe apud illos inibo, qui bonis artibus suum quidem locum esse volunt, et stolidos hosce Balbi, Liciniique imitatores morum honestatem tristi supercilio simulantes ne flocci quidem faciunt. Hanc itaque caussam tanquam apud judices acturus patrono me non indigere profiteor. Quapropter intacta omnia auctoribus suis relinquimus; nam siquae

huic potuissent argumento inservire, ex aliis excerpere, atque ut multi faciunt, congerere voluissem, exigua isaec volumina in majorem profetto molem éxcrevissent. Sed, ut vere dicam compilaticium illud scribendi genus non valde probo. De altero autem opusculo, quod huic adnectimus, haec accipe. Florentiae illud primo impressum. mox Kyliae Holsatorum, aliisque locis recusum. Quid istudi inquies. Quum eruditis ingeniis non improbetur, iterum damus, et quod illi melius hoc pacto consultum credimus, et quod alterius ab altero stylus, et argumentum non absimile novu quodam poterit amicitiae jure foederari. Vale.

PRAEFATIO

Illud mihi usuvenire memini, ut in quotidiano, familiarique sermone, tum Poetas, tum qui studiis eiusmodi delectantur, vehementer redargui, improbarique cognoscerem. Quod quidem an consuetudine mala, au ingeniorum perversitate accidere soleat, non facile existimem. Namque id genus improbationis arripere non tantum homines vidi, qui a Schola; et Lyceo prorsus alieni, sed et illos interdum, qui in literarum palaestra, artiumque liberalium choro quandoque versati fuerint, qui que de purissimis. Musarum fontibus nis pleno haustu biberint, aliquid saltem veli primoribus labris attigerint. Sed et artes bonae accusari possunt, revinci autem nonnisi malae. Praeterea nullo illis pacto credendum est, qui sententiam suam ultro obtrudentes multa quidem loquuntur, nihil autem probant. Quapropter sapientum virorum exempla secutus, qui scilicet veritatem rebus omnibus praestare voluerunt, hanc qualemcumque scriptionem nostram adversariorum argumentis opponere non

gravabor. Et quamvis probe norim, mortalium complures avaritiae, et lucro, quasola putant bona, impensius incumbere, non eos tamen negligendos esse duco. Imo si quae proserpentem morbi vim coerceat, aliqua adhiberi poterit, sive inustio, sive abscissio, clament licet, nobilitas medici erit, quum sanabuntur. Qui vero ingenii bonitate dicta perpendunt rationi non adversantes, naturae lumine non abutentes eos quidem non moroso, et prolixo, sed brevi, castigatoqoe sermone una nobiscum sensuros existimamus. Quod si contra acciderit, non is ego sum, qui nondum didicerim alterum posse mihi, alterum legenti finem constitui; quum quod ipse firmiter teneo alii aut imperitia non admittant, aut mentis perversitate reiiciant Quam contra si quis ire voluerit Herculeum certe laborem suscipit, nec aliud se quam inanem operam arripuisse et ipse tandem fatebitur. Quicquid itaque dixero, iis indictum volo, et bonos apud judices caussam acturi Praefationis moram ascindimus, ne quos veluti multiloquos reprehendimus imitemur.

OPOLOGETICVS

SIVE

DE POESIS INNOCENTIA

CAP. I.

Poesim non esse improbandam.

Jam si quae vulgi temeritate damnantur, ea omnia mala essent, quicumque aliquid defendendum assumit, dubitare equidem posset, ne caussa caderet. Sed quum, et optima interdum non tantum vocari, sed etiam obtorto collo in jus attrahi videamus, sperandum videtur, ut quod optimum est, ab accusatorum injuria vindicetur. Interea qui Poesim culpant, quaeso respondeant, num praeclarum quoddam naturae donum esse intelligunt rerum imagines perfectus concipere, aliis agnoscendas luculentius exponere, numero astringere, et quamdam, ut ita dixerim, faciei, line imentorumque elegantiam comparare? Quod si non negant, nec brutum quidem, aut hebes, sed, acre ingenium, atque ere-

ctum poetis attribuunt, quod tandem crimen este, egregium istud, quo quis fuerit insignitus, naturae munus ostendere, et mitioris indolis hominibus impertiri? Si vero naturam laudant, et quod est a natura bonum culpant, magna ista dementia est. Atque ego qui, ut isti libere faciunt, eo sapientiae non deveni, ut poeticam ausim condemnare, accusationis loco gratulationem potius iis, qui tali sunt ingenio, debitam existimarem. Nam oppido miror, cur non timeant redarguere quicquid ab ipsa natura non vulgare, et minutum, sed peculiare, atque eximium ipsi non coacti quidem sed liberi, ac volentes fatentur proficisci. Firmam corporis valetudinem, habitudinemque membrorum, et purpureum illud juventae lumen, si quando commendant naturae, inquiunt, bona sunt. Ut aliquid sincerae laudis nota censeatur eam loquendi formulam satis est adhibere. Quare ergo illud ipsum, et in animi bono non faciunt? Quod si formam quidem in corpore se probe contemplari, et nosse dicunt, at non in poetica pulchritudinem, jam quicquid inde colligitur contra illos stare certum est. Nam, qui poeticae venustatem intelligunt, quum non illa irrideant, imo et in pretio habeant, faciantque plurimi, eos ne ad irridendum ideneos putabo, qui hanc ispam pulcritudinem mentis oculis non

attingunt! Si vero quanta sit serio sciunt, nullo eam jure vituperant; si nesciunt, eos quidem fateri oportet, illuc se vituperare, quod nesciunt.

CAP. II.

Poetis objecta quaedam, et rejecta.

Poesim itaque quum non improbandam dixerimus, age videamus quae ad invidiam conflandam poetis objectent. In solitudine vitam agunt, divitias non affectant, rempublicam non capessunt. Hiscene argumentis malorum hominum consortio ascribendos esse contendunt? Traquillitate scilicet, parcimonia, molestiarum fuga. Proinde desinant solitudinem poetis objicere; nam et illam philosophiae sectatores libentius quaerunt, et qui innocuum aevum traducere student, nulla vulgi faece inquinatum, nullo vel levioris culpae naevo respersum, ii omnes frequentiam oderunt, et solitudinem suam habuerunt integritatis, et innocentiae testem simul, et administram. Numquid, quod philosopho ad contemplandum, quod aliis licet ad bene vivendum, poetae negatum volunt? Nesciebam profecto tutiorem vitae conditionem huic tantum hominum generi non convenire. Ne-

que ad solitudinem improbandam ocii nomen usurpent. Ocium dicant fritillo, et vasculo diem terere; ad multam noctem convivia producere, et post coenam dubiam psaltrias admittere, et choraulas: nam quicquid studiis impenditur, non temporis amissio, sed reparatio est. Videant itaque accusatores, ad quem finem optata sit solitudo. Non Capreas cogitamus, et probrosos secessus, ut caligo sit obiecta fraudibus, et censuram publicam vitia diffugiant. Tecto; un ait Poeta noster, gaudemus, et umbra, ne diversarum rerum specie animus evagetur, sed de loci tranquillitate ipse quoque turbarum undis immersabilis, in id, quod instituit, firmius simul, et placidius incumbat. Sed veniamus ad alterum accusationis genus insolens quidem, et plane novum. Cui nam rerum domesticarum angustias veluti grande crimen obiici audistis? Turpem scio Virgilio dici egestatem, an ideo, quia per se turpis, an quia ad turpia perducit? Quod si ita est, bonam quoque dici paupertatem audio, que frugalitatem docet, et temperantiam, et vitiorum luxuriantem segetem non tantum demetit, sed evellit. Una quidem paupertas est, quae diversa sortitur effecta; at non paupertatis necessitas est, ubi locum habet electio. An ideo soli poetae deteriora eligunt, ut de paupertate contrahat turpi-

tudinem ? Nihilominus hanc ipsa inpecunniolae carentiam nobis exprobrant illud scilicet videntes, quod reorum patrimonia patrono exuberant, et clientum crumena Matho pinguescit. Bene nobiscum agunt accusatores nostri, quod nos cum institoribus, aut salsamentariis non committunt; nam eos quoque vidi villas, et domos extruentes; elegantioribus ornantes imaginibus, auro, argentoque condecorantes. Quid inde? Poetaene improbandi quod iis careant, quae humilioribus forte contingunt, aut quae ad luxum faciunt, et grande solent esse malorum irritamentum! Laudandum potius hominum genus temperatum, et mite, quod modesta re familiari contentum superfluentes opes non desiderat. Quod autem solitudini, et paupertati tertium addunt, Poetas quidem publice nihil administrare: eone angustiarum redacti sumus ut si Poetae negotiis gerendis abstineant, nulli sint, qui ad haec munia exercenda multo libentius involent? Fingite Oratorem persuadere molestam rem esse uxorem ducere: num iccirco fore existimandum est, ut omnes in posterum caelibes agant? Ita et respublica suos utique viros habebit, licet ab ejus administratione abhorreat tota poetarum natio. Imo bene est, quod aliqui cessent, quam nulla unquam videamus vacare subsellia, et barbatulus quisque foro

et curiae censeatur idoneus. Quanquam et hoc ipsum, quod ajunt, publicae administrationi ineptos Poetas esse, bona adversariorum pace dixerim, falsum est. Habuit et militia duces, et aulicos regia, et praesides civitas, egregiae fortitudinis, mirae dexteritatis, oculatae prudentiae. Consulant historias qui nos tanta asperitate redarguunt; mitiores ipsi fient, si, quae scribimus, aliorum quoque viderint auctoritate confirmari.

CAP. III.

De Poetis eiiciendis Platonis sententia expenditur.

Verum, quum haec dico, se rursum sistunt, qui non tantum quod asserimus, obnixe negant: sed illam ipsam poesim, cui inter liberales artes fere principes est locus, maxime perniciosam, atque exitialem esse pronunciant. Profecto admirabile est quantam vim habeat vel exigua vox quae in vulgus emissa aliquem magni nominis auctorem affingat. Plato omnibus in ore est; ad Platonem appellant, Platonem caussae patronum asciscunt. Ea, inquiunt, ratione philosophus ille nobilissimus poetas dixit eiiciendos, quod nemini prodasse,

imo obesse noverint laborum osores , virtutum eversores, juventae corruptores, omnium denique scelerum patres, probrorumque. Si ita est , longe gentium amoveatur hominum genus criminibus suis infante , nudi , extorres peregrinentur , insulae sint ad quas deportentur ; latomiae quibus addicantur , et veterum repetito supplicio , culeo insuantur , saxo deturbentur . Sed si tot malorum origo Poetae nequaquam sunt, ea omnia accusatorum capiti recidant , qui Platonem nominasse satis esse putant , ut nos impone redarguant. Verum illos non tanti esse credo , ut Philosophi mentem introspicere , atque egregiam istam sententiam , quam furiose eructant , nobis non liceat expendere. Nam quod contra omnes ea sit aperte prolata , nego equidem . Quomodo enim eos eiiciendos esse dicit , quos commendat ? Quomodo improbat , quos virtutum omnium celabrat assertores! Evolvant quaeso divina illa , ut et ipsi fatentur , Philosophi monimenta ; neque Epicum neque Lyricum reperient : quem duris Plato modis accipiat, quemadmodum ii facere consueverunt. In ea enim, quam sibi instituendam proponit Philosophica Republica adeo in Pindari laudibus frequens est , ut ad sua comprobanda luculento illius Poetae testimonio utatur , atque illius carmina veluti oraculo excepta ad fidem faciendam Plato

ipse volens lubens usurpet. Quod si etiam doctioribus ad eruditionis argumentum seliguntur dicta Poetarum, quare nos eorum pudeat, qui eiusmodi divitiis abundant? Platonem certe non pudet hinc scriptis suis aliquod ornamentum comparare. Et, si a primo illius Reipublicae dialogo quintum usque pervenire non dedignantur (nam scio illos, vel ipsis librorum frontibus aspiciendis solere defatigari) quandam veluti legem ascriptam invenient, qua solemnibus caeremoniis sponsi, et sponsae sacra peragerent, et hymnos a Poetis acceptos frequentarent. Eant nunc, et si salva pietate fieri potest, sacrarum administros eiiciendos proclament. Iam, si quae sanctiora habentur, poeticos numeros non recusant, sanctum quiddam Poesis est, iis saltem rebus, quas ipsa pertractat. At de Homero quid? Nonne, illum veluti Heroa omnibus suspiciendum, amplexandum, miris laudibus attollendum Plato proponit? Quem igitur omni laude cumulat, eum prorsus criminis novit expertem. Atque eiusmodi Poetas sententia illa damnari absurdum est, credere, nisi dixerimus Platonem ipsum (quod quidem a viro Philosopho alienum est) aliud ore, aliud corde habentem, eos re vera odisse, quos falso tamen encomio dilaudat.

CAP. IV

Quare Platoni interdum Poetae improbentur ; ubi, et de Comaedis nonnulla.

Demus tamen accusatoribus nostris quod Poetas Plato condemnet; num iccirco omnes? Egregius sane esset pletendi modus, si quum aut fur in familia reperitur, aut adulter, tota simul familia puniretur. Si hanc sibi sententiam dici volunt qui nos accusant, omnes eorum criminationes facile tolero. Ita enim fieri poterit, ut, si quis corum fuerit flagitii compertus, omnes simul pereant innocentes. Quid abnuunt? Aut justum est quod dicimus, aut injustum. Si justum, quid recusant, quod juris in alterum statuerint eodem jure uti! Sin minus, quid cum Poetis omnibus agendum ajunt promiscua clade? Intelligant itaque Platonem suum; nam apud illum Poetas improbari videbunt, qui Diis indigna, scelera, inquam, et probra affingunt, quum nihil non sanctu; nihil non castum de supremo numine humana debeat cogitare mortalitas. Quis enim laudaverit, quod Saturnum faciant infanticidam, Jovem pullipremum, Mercurium crumenisecam, et ad criminis contumeliam Ledam oviparam? Quod ma-

lum est, utique abominabile est, et Poetis ipsis licet fingentibus nequaquam concedendum. Homero itaque Philosophorum assentior, nec quiescunt. Unum addo; non omnibus ista narrantur, non omnes ista confingunt; quapropter non omnes improbandi. Sed et in Platone alia consideranda sunt, qui quum rempublicam instituat, politico quoque consilio cuncta firmavit. Nemini autem dubium esse credo primum, et maximum imperii cujuslibet fulcimentum religionem esse, quae si labascere incipiat, alia omnia, licet operose constructa, facile corruent, et de religionis contemptu timoris abiectio est et de abjectione timoris a religione defectio. Jure ergo Poetarum licentia coercenda, quae cum humanis sceleribus inquinatos Deos fingeret, eos quoque fecerat contemnendos. Quod si religionis caussa sententiam illam prolatam nolunt, videamus, an, et alia sint, quae criminis notam Poetis inurant. Stet itaque ab illis Horatius:

Ut primum positis nugari Graecia bellis Coepit, et in vitium fortuna labier aequa, Nunc Athletarum studiis nunc arsit equor. Marmoris, aut eboris fabros, aut aeris amavit; Suspendit picta vultum mentemque tabella; Nunc tibicinibus, nunc est gavisa Tragoedis. Poetasne ergo condemnat? Hoc quidem certe non video. Sed sicuti Plato

quum pueris Poetas negat, morum integritati consulit, ne scilicet eos legant, quos non intelligunt; ita quum positis bellis Graeciam nugari coepisse Horatius ait, non Poetas iccirco excludit, sed ocium, ac luxum improbat, et iis de rebus immoderata studia, quae eos quidem non decerent, quibus imperium esset aut armis servandum, aut proferendum. Et profecto vel ant ipsa Alexandri Magni tempora quum majori in pretio apud Graecos bonus versificator esset, quam bonus miles, et histrioniam facentes admirarentur magis, quam duces, hoc quidem ocio negocioso imperium illud perdidere, quod majorum fortia facta, atque egregia facinora belli, domique confirmaverunt, Atque illud multo foedius est, quod stipendia in milites eroganda deinde theatris attributa sunt, ut publica munera vel egentissimus quisque spectaret, omni prorsus pauperum, ac potentiorum discrimine sublato. Hinc in veterum scriptis theatralis pecuniae luculenta adeo mentio est, ut nullus prorsus de profusissima largitione dubitandi locus relinquatur. Extrema itaque cum primis retexentes aut aliquid sententiae addendum, aut mitius quidem eam accipiendam existimamus. Nam si religio Platoni placet, multi quidem poetae, ut de illorum monimentis apparet,

pietatem colunt; si reipublicae spectat utilitatem, non omnes sunt fabularum scriptores, ad quas exhibendas tum publica, tum privata pecunia desideretur. Atqui; inquiunt, poetas plato condemnat. Aequum sane est, ut Tragicorum adulationem improbet, atque Homeri commentis, eos, qui reipublicae gnaviter operam impendunt, antestare faciat, atque illos ad posterorum exemplum proponat. Non tamen inde colligitur, quod Homerus, et Euripides philosopho censeantur eiiciendi. Poetas plato non eiicit, sed dimittit. Quae licet ita sint, victoriam tamen suam iam non desperant accusatores; sequitur enim de moribus:

CAP. V.

In eos, qui per Poesim mores corrumpi asseverant.

Gratulamur ergo horum hominum integritati, et exquisitissimum religionis sensum agnoscimus. Namque amatoria icirco carmina leges nolunt, quod aliqua inde sit pudoris atque honestatis imminutio. Interea matronarum choro spadones immixti vocis argutia, atque oculo illice gratiam captent; ad comoedorum fabulas indiscreto iuvenum consortio inno-

centia puerilis accedat; in ipsis filiorum oculis scortillo patres delectentur. Haec quidem certe vitiorum nulla irritamenta sunt, sed poetae versiculus solo debet exilio, solo incendio vindicari. Leges itaque aliis dicunt, ipsi vero exleges esse gloriantur. Atque illud arbitrio, seu notae potius adversariorum impotentiae tribuendum quum sit, dicant quaeso, Nocere ne magis possunt, quae plures, an quae pauciores intelligunt? Atqui poesis non ea est quae omnbus sit intellectu pervia; perspicax requirit ingenium, et cui quaedam sit condendi carminis parta cognitio. Emendunt itaque sua, quibus vel infantissimos quosque in scelera adducunt, deinde poeticam damnent facultatem, quae doctioribus tantum bene percipitur, et doctiores quum sint, credibile est in vitium quoque difficilius impelli. Nam quod in amorem exsurgunt, atque autores suos, ex quibus argumentandi materiam sumpsere, in medium afferunt, non est quidem, quod formidemus publica, ait nescio quis poetarum, pestis amor est. Iam si pestis ea est, amor non est, si amor est, nequaquam hoc illi tribuendum, ut noceat. Nam quae potest esse amori simul, et nocentiae communio? Verum rustici homines quum amatores audiunt, moribus fluxos intelligunt, et quum Corinnam, aut Lesbiam,

Deliam, aut Cynthiam in carmine legunt, nesciunt ad elegantiam istà componi. Iccirco nos, libros nostros temerarie despuunt, et crimina nobis, quae nec cogitavimus unquam, affingunt. Vultis quod sentio libere dicam? Improbitatem isti suam ad nos afferunt, et non ignem isti deducnut, sed applicant.

C A P. VI.

Quod et alii Scriptores omnes interdum noceant.

Quod si qui narrationibus suis vitia, et scelera ob oculos ponunt, ii omnes eiiciendi, ea tantum de caussa, quod horum letione mores corrumpi, atque honestati labem infligi asseverant; iam non video quare aliis exceptis, in solos Poetas desaeviant. Nam de istorum manibus, et alii quoque Scriptores amovendi. Nonne apud historicos Tarquinium legunt alienum thalamum irrumpentem, illatum Lucretiae stuprum; Tiberii balneas, et convivia; Claudi uxorem lucifugam atque ea loca frequentatem, quae nocturnis amplexibus faeda quodlibet facinus admittebant? Iam barbarorum incestus, et promiscuos concubitus nec historia praeteriit,

nec posteritas ignoravit. Age deleantur de veterum scriptis lubricae istae narratiunculae, ne accusatores nostri despument in libidinem. At ego mirari non desino cur de lectionibus suis morum potius perniciem, quam probitatem lucrentur. Videamus, quod contra nos, ut ipsi putant, paratum habeant firmissimum telum. Natura, inquiunt, in malum prona est, unde, et facilius, quod noceat arripit, quam quod juvat. Ita ne secretiorum literarum periti sunt, ut ad nostra infirmanda ista producant? Iam si non ea hominum perversitas est, sed natura; nulla ista, de quibus inquirimus, vitia sunt, et frustra illud reprehendimus, quod si destruere velimus, animorum prius corporibus istaec alligata forma dissolvenda. Rationabilius equidem loquerentur, si quae sponte patrant scelera, quaeve alieno illicio sectantur, de corrupta ipsorum mente dicerent proficisci. Quam profecto mentem qui secum afferunt, neque illis sanctiora volumina percurrenda concesserim, quae in nequitiam suam ingenii pravitate convertent.

CAP. VII.

Vitiosa si quae scribunt egregii Poetae, ab iisdem quoque corrigi.

Verum, et illud magnorum Poetarum esse novimus, ut si quid vitiosum, et abominabile carminibus suis prosequuntur, hoc ipsum mox detestentur. Unde colligitur quod non, ut imitemur vitanda pertractant, sed, ut evitemus, vitiosa aperte condemnant Nuptiis Dido fruitur inconcessis: sed poetam audi:

hoc praetexit nomine culpam.

Quis inde sumet turpioris exemplum intemperantiae, ubi tam aperta est incontinentiae esprobratio. Si quis Virgilium damnaret, quod ista narrasset, quaererem ego quare non laudaret, quod ista corresisset? Vide rursum quos Tartaro aftisit Dei contemptores; et de Poeta illud accipe:

Discite justitiam moniti.

Neque tamen credant, quod uno, aut altero utimur testimonio, penuria illud argumentorum accidere: abunde enim copia suppetit, si quis vel unum Virgilium legat, cuius omnis Poesis laudatio virtutis est. Sed si et nostros admittunt, en ades Torquate, et otio deliciisque tor-

pentem Heroa ad laudem revoca, carminibus excita.

Jam tota Europae, atque Asiae vastissima
tellus
Bello ardet. Quem laudis honor, quem
gloria tangit,
Militat is Christo Syrio nec pallet ab hoste
Tunc feros queis terra pavet concussa, tumultus
Nil curas? Longam secreta per otia vitam
Produxisse iuvat? Non ulli cognitus idem
Imperium muliebre feres Illa inclita Virtus
Quo se proripuit? Quis te vagus abstulit error? Te te castra vocant, et te Victoria laetos
Ducere gaudebit, fato plaudente triumphos

Quis nam ergo, nisi in vitiis pugnax, illud vitae genus arripiet, quod tantopere senserit improbari? Nonne si quem Lector contraxit igniculum, eiusmodi prorsus castigatione restinguitur? Iam, non puto, Poetas omnes elevabunt, si et de illis accipient salutaria monita, quibus neque veterum disciplina, neque Philosophorum porticus sanctiora proponeret.

CAP. VIII.

Ineptum esse, quod Poetis dicant fortunam adversari.

Sed si quibuscum isthaec agtur controversia, intus eos, et in cute nosco, non

illi morum corruptelam, nec studiorum genus, ut aiunt, inane, et frivolum; sed lucrum respiciunt, et quum publice quid lugent, privatum spectant. Hinc illae querimoniae: Fortuna Poetis adversatur, neque ex illorum familia adhuc vidimus, qui grandiori censu notaretur. Quod quidem an verum sit mox inquiremus, quum hoc ipsum, quod de Fortuna obiiciunt, retuderimus. Iam si nihil aliud Fortuna est, quam temeraria rerum concursio, ridiculum plane quod solos Poetas dicunt acuto isthoc Fortunae telo confici. An poetae illis videntur aut Miles, aut Colonus, aut Nauta? Atqui vulneribus confossus aliquid paratum habet quod in Fortunam regerat: et qui scopulo allisit, Fortunam diris devovet immanissimis? Quasi spicula intorserit, undas excitaverit, et alterum raptarit in pelagus, alterum in praelia conjecerit. Ipsi quoque cultores agrorum, si difficiles e caelo pluviae, Fortunam incusant: si culmos rubigo corrodit, si segetem grando comminuit, si fallax olea est, et jejuna viticula, non hoc camporum sterilitati, aut temporum inclementiae, sed Fortunae injuriis attribuunt. Familiares hominum querimonias agnosco, et quum, ut Plinius ait, in tota ratione mortalium sola Fortuna utramque paginam faciat, non miror equidem omnia

illi accepta referri, et expensa. Quod si prae ceteris infortunati poetae sunt, hoc unum superest, quod Critonium ferro transfixum, Fracastorium subita morte praereptum dicant, eo quod, et ipsi interdum poeticae operam dederint. Numquid, si quem nudat praeceps alea, aut damnosissimae versurae ad incitas sedigunt illud poterit exsecrari, quod carmen effuderit, aut Virgilianis consueverit versibus delectari? Quod si ita est, quamvis Crati nihil accidisse mali comperio, quod Perulam suam carmine laudaverit, desinite tamen fabam canere, et raphanum; nec moriam amplius, aut febrim elogiis vestris celebrate. Sed quid ego haec? Imo carmen effundite, et convulsa; ut ait poeta satyricus, clament marmora, nam si vestra tantum infortunia sunt, debebit quidem vobis tota mortalitas quod calamitatibus vestris ab omni potuerit adversarum rerum clade liberari.

CAP. IX.

Poetarum infortunia non a Poesi, sed aliunde esse: quin eos persaepe fuisse fortunatissimos.

Ergo nulla ista redargutio est, si nec ea Poeseos natura, ut infortunatos homines

faciat. Quid illi cum carceribus, cruciatibus aerumnis? Non ea profecto mater este, de qua tales filii, et monstrosos quidem partus ederet formosissima genitrix, si de laboribus honestissimis nobis pareret ignominiam. Multa sunt, inquiunt, in poetis, quae in adversum perducunt. Si ita est, non repugno, et eos quoque dixerim infortunatos. Sed et hoc rursus quaerendum est: carere ne possunt iis, quae adversa ista efficiunt? Si carere non possunt, ea quidem sunt eiusdem cum poesi naturae, et iam intrinsecus habent poetae, quod noceat: sin possunt, ea ergo, quae nocent, praeter poesim sunt, atque iis sive compressis sive abscissis, quis neget fieri posse fortunatissimos? Num omnes poetae leves, irasci faciles aliorum contemptores? Iis scilicet nominibus ad contumeliam utuntur, et levitatem dicunt studiorum commoda diversimode inquirere, iram vocant ineptiis non acquiescere, et contemptum indigitant inscitiam odisse. Quae quidem licet accusatores nostri vituperent, ea tamen nobis inesse gloriamur. Verum his praetermissis, poetarum quamplurimos miro in honore fuisse intelligo, et, Musis praeeuntibus ad ea, quae omnium sunt aestimatione maxima, evectos. Neque hic eos numerare necesse habeo; quum vix ulla fuerit aetas, quae poetarum aliquem benignioris non viderit fortunae rivo respersum Ve-

terum repetant mominenta; et si quam fidem scriptoribus adhibent, de uno saltem Virgilio legent, illum ipsum ob carminis praestantiam Augusto Caesari adeo acceptum fuisse, ut cum eo consilia de rebus maximis communicaverit tantoque in pretio fuerit apud populum Romanum, ut auditis in theatro Poetae versibus surrexerit universus, et forte praesentem, spectantemque Virgilium sic quasi Augustum fuerit veneratus. Tantas autem opes congessit, ut ducenta quinquaginta Coronatorum millia possederit. Et publius ille Mimographus equestri anulo et aureo torque donatus negatam sorte nobilitatem virtute praeripuit. Non bene hercle de prudentissimorum Principum iudicio sentiret, qui vanos homines et inutiles, imo perniciosos, et improbos per illos crederet novis opigus autos, atque amplissimis muneribus cohonestatos. Imo tantorum Virorum exemplo dicendum est, poetas eximios ea tantum de caussa principibus acceptos, populoque fuisse gratissimos, quod aliquem inde cernerent sive splendorem, sive utilitatem, sibi, reique pubblicae comparari.

CAP. X.

Poesim quoque Reipublicae utilem esse

Utilitatem autem quum de Poesi oriri dicimus, subsamnant nos, qui unum, idemque esse putant irridere, ac manifestum mandacii tenere. Et quum mitius nobiscum agere volunt, interrogant nos: Ecquaenam ista est de poetis utilitas? Quam quidem, si agnoscere non dedignantur, Horatium audiant:

Os tenerum pueri, balbunque poeta figurat
Torquet ab ocaenis iam nunc sermonibus aurem
Mox etiampectus preceptis format amicis
Asperitatis, et invidiae, corretor, et irae,
Recte facta refert, orentia tempora notis
Instruit esemplis, inopem solatur; et egrum

Quae si inutilia sunt, jam non negaverim Poetas etiam, per quos ista narrantur, inutiles esse. Praeterea, si nobiliores artes magno reipublicae usui esse non negant; quomodo inutiles illi, a quibus eas accipimus et suavius quidem, utpote carminum lepore perfusas edbibimus? Sed ut puto, accusatores nostri, Lucretii, Maniliique nomina vel audivere nunquam; vel barbarorum esse credidere; et recentiores quoque Iovianum, ac Torquatum

genus quoddam Poetarum existimant scurrile, et ludicrum. Tantum abest, quod siderum motus et penitioris Philosophiae secreta, nec non, quae bonum Principem decent, et quae religionem attingunt, eos rimatos fuisse intelligant, carmine explicasse, facilius nobis praecipienda proposuisse. Quod si quae valde trità sunt, ignorant. multo minus eos nosse credo, antiquissimas Philosophantium sectas duces habuisse Musaeum, Linum, Orpheum, Hesiodum, Homerum, qui sapientiae studia impensius colentes de suis veluti fontibus, ut alienae utilitati quidam rivuli deducerentur, effecere. Nec nobis vitio vertant, quod ad Ethnicos appellamus. Oportet enim, et illos non spernere qui naturae illustrati lumine, quibus potuere viribus ad summum illud, et amabile bonum aspirarunt. Quos tamen si non admittunt, pro nobis stant sacrae Paginae: in divinis enim libris plurima metris astricta, et fuisse olim, et nunc esse fatentur eruditi. Quapropter stultum esset, quod exemplum illud imitari nos puderet, quod annuente Numine comprobatur. Neque ea utilitas exigua consequenda est, quae et pietatem promovet, et mores expolit, et fortia facta quum laudat, civium animos ad egregium aliquid patrandum accendit, et dum vitia carpit, scelestos homines aut corrigit, aut deterret.

CAP. XI.

Alia Poeseos utilitas, quae a splendore.

Hactenus quae reipublicae sit Poeseos utilitas. Modo videamus, an et aliae sint caussae, quibus non ea quidem censeatur eiicienda, sed admitenda potius, et in mediis civitatibus retinenda, fovendaque. Sed antequam eo deveniamus, rationem ii nostram accipiant. Multa quidem esse existimamus, quae et conservationi, et rerum publicarum commodo inserviant; nonnulla vero in illud comparata, ut venustatem quandam, et ut ita dicam, oris elegantiam, vel ipsis urbibus acquirant. Nam quod ad Reipublicae conservationem attinet, quodam veluti artium orbe, eo unde effluxit, lucri augmento pecunia redit; atque ea quidem, sicuti quod venis, et arteriis exuberat, partium nutritioni attribuunt, ita Reipublicae membra alit assidue, nec destituit. Quum vero artes sistunt, tunc repentina mos imminet ab hoc sanguinis polypo. Militibus autem locum alterum tribuere visum est, ut praeclarum, quod ex bello est, sortiremur effectum, pacem dico, imo et libertatem addo, quam si armis careas, eos contra tutari minime possis,

qui regnandi libidine alienam ditionem jam spe devorantes tranquillis aliorum rebus susque deque insidiantur. Ad civium denique dissidia sedanda, irarum caussas coercendas, improbos e medio tollendos, venerabilis ipsa legum majestas exsurgit. Haec igitur quae numeravimus, quis maxime laudabilia, utilia maxime esse negaverit? Quibus si careant, urbes olim ditissimas in paupertatem delabi videmus, quodque turpius est, in potentiorum dominorum jura cedere, et durissimum pati malorum, servitutem. Venio nunc ad accusatores: num id genus ornamenta de Poesi expetenda, sperandaque existimant? Profecto isti delirant; nec de carminibus pecuniam, nec bellorum apparatus, nec Justinianeas sanctiones promittimus. Verum si quis hisce opibus pollenti Reipublicae pulcritudinem quamdam, ac splendorem novum suppeditaret, penitusne improbandus videretur? Qui eo est ingenio, et is Helenam culpare posset, eo quod esset ornatior. Poesim igitur eam esse dico de qua novus conciliatur urbibus nitor, et novum decus. Negant? Graecos videant, Romanosque. Mira ipsorum celebritas est, non ea tantum de caussa, quod civium virtute, et bellorum robore aliis omnibus antestare potuerint; sed quod Scriptoribus etiam, Poetis

praecipue, quorum utraque natio magnum sane proventum attulit, abunde floruerint.

CAP. XII

Quod et Philosophi Poeticis fuerint delectati.

Hinc est, quod Plato, quo teste superius usi sunt, Musas ipsas nunquam odio prosequendas existimarit. Imo et ipse in Poetica floruisse dicitur; quod et Medaurensis ille affirmat, quum ait, Platonem Tragoedis, et Dithyrambis utilem ab institutore Socrate ad sublimiora animo complectenda incitatum, non Poetica veluti contemnenda abstinuisse, sed ab ea ad illam transisse disciplinam, quam credidit esse meliorem. Dicerentne, qui nos contemnunt, illud ex dicto sequi, Poesim veluti malam, ideo Platoni intermissam? Nemo equidem ita argumentatur. Hoc optimum est, ergo alia omnia pessima. Adde, quod et illius consilii auctor Socrates in Tragicis scribendis, ut ea tunc temporis opinio manavit in vulgus, Euripidem ipsum adiuvit. Rusticitatem itaque agrestem, et inconcinnam accusatoribus suis Poetae relinquunt, quum Phoebeas hasce delicias, nec ipsa quidem Philosophia aspernetur.

CAP. XIII.

Ecclesiae quoque Patres, et sacros Viros a Poetica non abstinuisse.

Et si modo judices de ejusmodi caussa sederent Lactantius, Ambrosius, Damasus; et inter recentiores Columbanus, aut Paulinus, auderetne aliquis, etsi probe eruditus, tantis Viris Poeticam exprobrare? Sanctum quiddam est, et probe divinum; et si eos, quorum nomina attigimus, curiose observamus, nulla probitatis imminutione, nulla existimationis jactura, Poeticae interdum operam navasse cognoscemus. Duri itaque nimis erga nos ii sunt, qui, quod aliis laudi fuit, nobis damnant, et quorum scripta probant, ab eorum nos imitatione detorquent. Quos autem nobis sequendos proponent, si non ii sunt, quorum volumina veneramur? Doctus Presbyter Juvencus Evangelicis olim narrata Scriptoribus carmine amplectitur non contemnendo. Coeli cives diserte Mantuanus concelebrat; et in Christiade sua redimitus lauro, et infula Vida praefulget; nec sanctissimae familiae patrem dum eleganti sane stylo Maurus dilaudat, sua indonatus adorea praetermit-

titur. Non eos equidem accusatores nostros esse credo, qui aut hos ingenio vincant, aut scribendi facultate exsuperent, aut morum integritate antevertant. Si qui vero sunt, qui non Apollineo agitati spiritu, sed oestro perciti diabolico aut alienam famam imminuunt, aut ea carminibus prosequuntur, quorum Atellanos ipsos, et Fescenninos suppuderet, sciant omnes in Poetarum numeró mihi non haberi. Novi enim Poesim divinitus datam, ut quae de Deo sunt elegantibus numeris depraedicent homines, nec ipsa animata Dei simulacra laudes illas conticescant, in quibus, et ea omnia, quae divinus ille Artifex condidit, sensu licet, ac ratione carentia, novimus continenter effundi. Egregie ea in re ingeniorum princeps Torquatus:

Laetum sonantis cor meum lyrae est instar;
Sed tu Deus dextra es; movè, precor, mi
Illam; sonore, et dulcibus modis utens (Rex
Tu dura mulces pectora, et truces mentes,

BENEDICTI MENZINI
DE LITERATORUM HOMINUM
INVIDIA.

DE LITERATORUM HOMINUM
INVIDIA
Ad nobilem, et vere doctum virum
FRANCISCUM REDI.

CAP. I.

Scriptoris consilium, et finis.

Ex quo mecum, FRANCISCE REDI, diu, multumque deliberavi, an bonum sit scribere, et sententiam aperire; quicquid dicturus sum, in lucemque editurus, non inutile prorsus fore existimans, rem tandem arripui. Et profecto cum fines meos verecundiam fecerim, noxium timorem abesse oportet; imo et sperandum videtur, ut qui libellum ter pure legerint, inde meliores evadant. Verum cum nonnulli perperam de auctoribus judicium ferant, non ea fortasse vitii labe, ac nota dementiae carere videbor, quam in aliis exagitandam, culpandamque suscepi. Omnes enim ea de re facile sermonem instituunt, qua affi-

eiuntur ipsi, sive illud sit a natura malum, sive inspersam eorum animis maculam in aliis tamen odisse merito videantur. Sed quae fides habenda iis, quibus animi dolor in consilio est, alii viderint. Nunc (ut quod institui planum faciam) totus hic de Literatorum Hominum Invidia, qua inter se duri nimis, et acerbi, et, si dicere licet, inurbani conflictantur, erit sermo. Et veluti ex continenti litore marinos fluctus aspicimus, nec timemus; ita Saturnios hosce alumnos alta ab specula. Verum in ipso orationis meae limine Lectorem paucis volo. Non mihi consilium alienam scabiem satyrico sale perfricare, non aliquem carpere, non laedere: odi enim floridulas dictiones, quae multum habeant mellis, multum et fellis. Quid quod in ventos abeunt stridulae nugae, et minutos canes allatrantes contemnimus ? Non itaque, ut Virgilianus Heros

——volucrem trajecto in fune columbam,
Quo tendant omnes, malo suspendit ab alto;

ita et nos. Prorsus enim ἄνους essem, si quod conor evertere, conviciis ipse sustentem. Sed ut studiosa juventus fraudem caveat, et dolos, qui ab Invidia; detegere eorum operaepretium est artes qui speciem quamdam sapientiae praeseferre, unam omnium rerum fructuosissimam esse existimantes, ut gloriam sibi aucupentur, alios omnes vellent inglorios. Ita Ulyssei dam-

nabat eloquentiam furore percitus Ajax, non quod illum fugeret quantum in ea roboris, atque nervorum; sed totus in hoc erat, ut Achillis clypeum ferret, quo sè indonatum abire iniquo nimis animo pertulit. Atqui ea est comparatio nobilior, quam quae Invidos deceat: Euclionem potius Plautinum imitantur, qui miris modis anxii sunt, ollari thesauro, vel exiguo lucro metuentes.

C A P. II.

Fictam Invidorum laudem, quomodo Vituperatio subsequatur.

Horum hominum prima velitatio laus est: et non ea quidem sincera, simplex, sed fuco illita, et in adulationem composita, vafricie, et astu exornata meretricio. O quae sermonis ambages, et mellita verba! Detur, ut aliquis de eruditorum choro adversae patiatur tela fortunae; adstant protinus, miserentur, indulgent. Accipe, quae voces a candido pectore: Habemus seculum Virtuti contrarium; sed ipsa sibi Virtus ornamento est: dispeream, ni tuam doleo vicem, qui ad id aetatis bonis artibus, et studio deditus, illud beneficentiae sortitus sis retrogradum sidus. Exclamare libet

Taciti sententia, Speciosa haec quidem sunt, re vero inania, et subdola. Sed et malo bonum usquequaque permistum. Prosunt enim eae invidorum voces, fractos animos erigunt, torpentes excitant, licet sibi imponat, qui de sacro veritatis penetrali credit eductas, vix, aut ne vix quidem intelligens, agi secum reorum more, quos per valentissimos cibos, et pretiosa vina reficiunt, ut dolorum sit sensus magis efficax, atque in ipsos ad vivam animam immanis tortor desaeviat. Quod si studioso viro aliquando tandem obsequatur Antias illa Dea, ita ut meliuscule secum agere incipiat, et scopulo, in quo haerebat, navim suam detrudere, en Hector Priameus

—— *Quantum mutatus ab illlo*!

Atria omnia, plateae, porticus antea personabant: O hominem egregium! Salmasio illum, et Casaubono parem fecerant. Haec olim, cum lacero sub panno aurea Virtus mendicaret; nunc mutata tota rerum ratio est, imo non rerum tantum, sed et verborum: En viri ingenium, et virtus: codicem cum altero conferre; locum alteri similem exscribere; literam, quae typographorum incuria irrepserit, expungere: de syllabula, de vocula rixas agere. Laboriosa haec quidem sunt, sed quae generosam animi indolem vix requi-

rant. Grandia igitur verba, et ventosae laudes in desuetudinem abiere: secunda utitur fortuna, secunda non utatur, et fama. Invidentis hoc naturae est, ut humi jacentem commendent, suis florentem rebus sermone parum honesto exagitet. Quid ni? Si cum quis melioresecit, non levi se damno affici invidus credit, et alienae augmenta prosperitatis aspiciens, sollicitudine, tabeque longa conficitur.

CAP. III.

Varia Invidiae effecta, quae versantur circa sermonem, et primo de Calumnia.

Familiam praeterea ducit invidia, et parum sibi vires suas extendere videretur, nisi, vallo relicto, foras exiret aperto campo depugnatura. Hoc enim quorumdam vitiorum est, ut sola esse non possint: socios adsciscunt, et administros, qui nequitiae glutino solidantur. Lateri ergo Invidorum laethalis haeret nocendi cupiditas, unde et calumnia: quam quidem dixere occultam laesionem imminutionemque alterius in sermone, aut scripto mixtam fraude. Etiam: quid enim calumniantium magis proprium, quam ansam arripere, ut obloquan-

tur, interturbent, et venenum suum credulis auribus instillent? Sed qui fieri possit, ut laudis pedisequa sit calumnia, mox explicabo: satis in praesentia rerum cum dicimus, vipereum hunc foetum esse ab Invidia. Et quamvis perditi homines nihil interesse existiment sive parum, sive multum a summo bono recedant, quo plures tamen ii sunt, qui calumniose laeduntur, eo nequior est, qui laesionem ejusmodi per calumniam intulit. Stoicorum isthaec sunt: vitia paria, virtutes pares. At nos, qui sanctiori dogmate nitimur, graviora quaedam, quaedam leviora credimus: nec immerito, cum longe culpabilius sit Principi viro, quam privato homini injurium esse; et leges ipsae in perduelles acrius animadvertant quam in eos, qui aliena furto abstulerint. Uni ergo, aut alteri nocere parum putat invidus: parata habet in omnes infestissima tela. Imo, cum non ratione, sed mentis feratur impetu, de latibulo prodit cruenta bestia, quae rabida fame correpta obvia quaelibet petit admorsu. Invidia enim, ut ait vere Basilius ille Magnus, cum illi, qui eam possidet, primum sit, et familiare malum, nihilominus omnia foris perscrutatur, inquirit, ut nunquam non suppetat, quod illam, veluti tortor intestinus, excruciet:

eumque ex vero criminari non possit, in officina mendacii omnes percurrit artes, ut falsa pro veris obtrudat. Oratorem audit: in ipso statim desiderat, quos non intelligit numeros; et palmare illi nefas, si minus concinna transitio. Pangat quis Romanis aliquid Musis exculturn; tunc illa usque ad ravim nostris hisce temporibus vix possibile videri priscos illos ab Latio Scriptores, ne longo quidem intervallo sequi, ne dum assequi: imo fore, ut quae literis mandamus multum de scabricie referant, et praesentis aevi rubigine. Quod quidem, ut non dispute, sic illud teneo, atque denuntio, ea in re tantum sibi invidos constare, ut in omnium scriptionum genere inveniant semper quod non probent. Cumque egregii Viri saepe scripto docuerint, raro pugnaverint; hi contra non scripto sed sermone rixantur.

CAP. IV.

Ostenditur quam non semper laudabile sit scriptis pugnare: ubi quaedam adduntur de aemulatione.

Quanquam et Scriptores, dum alienos errores detegunt, cautos multum esse

oportet, (quod quidem non in eam sententiam accipi volo, ut quis eorum consilia a nobis improbari putet, qui ea in re operam navarunt suam, ut studiosa juventus non ineptire condisceret, sed, errore enunciato, arceatur a lapsu) verum fines quosdam esse novimus, quos ultra nequit verecundia consistere; et nisi parcus fueris in reprehendendo, Invidia te laborare facile suadebis, cum incertum sit judicare, an veritatis amor impellat, sive inanis gloriae cupido, quae rationis hunc lembum transversum agat. Triumphant enim nonnulli, si quid frivolum offendant, et leve, quod quum alios lateat, ipsi proferant in apricum; quodque intolerabilius est, non maledictis abstinent, et conviciis; nulla in eos reverentia, pudore nullo, quorum praeceptis, et eloquentiae si quid sapiunt, hoc unum saltem debent quod sapiunt. Cujus quidem contumeliae exempla praesto sunt: vidimus enim libellos quosdam tanta in Ciceronem, et Quintilianum petulantia insurgere, ut vix cordatum virum existere credam, quin eorum auctori jure, et merito succenseat. Qua in re, et Majoragii temerarios impetus culpari lego qui Tulliana paradoxa, ut quae titulo fronti praefixo minime respondeant ausus sit improbare. Ea tamen redargutio in igno-

miniam versa est, cum Graecae locutionis vim non assequi se, imo penitus ignorare palam fecerit. Esto; erraverint: nunquid eorum quilibet curandus erat, ut bubulcus? Illaudabile igitur est, literis, et liberalibus deditos disciplinis ejusmodi scriptionum generi dignitatem quamdam suo nomine adiungere. Insaniunt enim ipsi, et alios docent insanire: et sicuti Senecae volumina, si quis lectione percurrat, nectareum adbibit laticem, quo mores inspergantur, reddanturque meliores; ita dentatae chartae furoris quoddam virus juvenilibus animis afflare solent. Et quamvis, qui ejusmodi in scriptis versantur, non qua laborant, Invidiam, sed aemulationem esse praesumpserint, a suspicione tamen alieni esse non possunt. Aemulationem enim dixerunt perturbationem animi, ob bona mentis honorata, quae pares, aut similes assecuti videantur, non quod ea aliis adsint, sed quia nos iis careamus. Neque de praefectura, aut magistratu noster est sermo: quanquam et haec ipsa in aemulationem, invidiamque cadere possunt. Instrumenta enim sunt, per quae benefici sumus, et de aliis bene merendi facultatem habemus. Verum de illa honoris specie loquimur, quae literatos Viros, ac Virtutem decet: cui quidem aemulationi aliquid boni inesse inficias ire non possum, dummodo

ab ea procul absit contemptus, quem illi recta adversari existimamus. Quomodo enim illum apud nos in pretio esse ostendemus in quo nil laude dignum, nihil suspiciendum, imo omnia contemnenda, irridendaque reperiamus? Natura ergo in contemptum prona non aemulationis, sed Invidiae notas aperit; cum non eos tantum videamus ludibrio haberi, qui nullius pretii sunt, sed et illos interdum, quibus multae, et reconditae literae honorem facile conciliarent, nisi eorum amplitudini invidentium turba fraudi esset.

CAP. V.

Eorum, quae superius proposuimus, explicatio: quomodo scilicet ab Invidorum laude sit calumnia.

Sed nos eo redeamus, unde digressi sumus: et ut aliquando tandem innotescat, quibus modis, quove artificii genere invidorum laudem calumnia intercipiat, pro certo habeto, ejusmodi hominibus solemne esse, ut miris vocibus praesentem commendent, quem absentem detractione jugulant. Atque in cives suos, et quod turpius est, familiares, quos pares habere nollent, exitiali scelere grassantur. Quippe cum quis

dignitate praestat, inde caliginem sibi offundi putant, et quantum de alicujus augetur splendore, tantumdem de sua credunt existimatione diminutum. Sed haec quidem apud nos. Nam si exteris ab oris advenerit quispiam literis hisce humanioribus leviter tinctus, et fama secundiore munitus; tunc qui aliis omnibus brachia pedesque diverberabat invidus, huic uni suber supponit, hunc manu fulcit, et rudem adhuc ad natandum Delius alter informat. Nonne hoc pium est? Pium, sed ab invido impium: ait enim montes, et maria superanda, ut alio sub Sole, et extima tellure innatum surculum in nostrum agellum transferamus: hospites tantum et advenae diutino studio, et labore non atteri improbo: nos vero totos dies sedere, otiosos dormitare, et veteris prorsus nobilitatis oblitos nil meditari laude dignum. Fare invide; unde tot congesta homini encomia: in nos vero obtrectationes, et convicia? Nimirum, occultior ea est, eo nocentior vafricies: cum enim de longinquo advenientes commendare non desinat, nos qui domi aetatem agimus veluti imperitos damnat. Per fora, bibliothecas, principum aulas una vox est: vix, aut ne vix quidem tota in Italia reperivi illi, de quo diximus, hospiti comparandum. Cum igitur ad praepotentium virorum aures faciles aditus habeant obtrectatores isti, inde fit, ut

cum res postulat, nullos nisi exteros sibi usui esse posse opinentur. Bonam scilicet mentem invidorum voces invertunt, et hoc pacto rei suae favent, ut cum de unoquoque tam facile judicium ferant, ipsi credantur esse doctiores.

CAP. VI.

De loquacitate: ubi an plura leviter attigisse, quam unicam penitus artem callere melius sit, Problema adnectitur.

Ad summam victrix loquacitas est, horum hominum generi adeo familiaris, ut si, vel momento temporis, linguam cogantur comprimere, id illis accidat intolerabilius, quam multo gravatos vino, veretris alligatis, fidicularum tormento distendi. Quapropter loquacitatem Invidiae administram facio: cum enim re nequeant improbi contendere, illud, quod sibi proposuere, conantur assequi multiloquio. Omnia se sapere, et nosse temeraria quadam verborum felicitate gloriantur. Interroga an chartacea oscilla, gypsatas imagunculas valeant deformare; illud quoque, etsi a literato Viro alienum, anxia tamen gloriolae cupiditate, se probe tenere fatebuntur. Da ut quis Matheseos mentionem faciat; cubos,

cylindros, scalenos statim crepant. Quodque de scientiarum celeberrima dicimus, illud circa artem quamlibet usuvenire credendum est. Ea vero loquacitas odio digna, non tantum familiari, et quotidiano sermone, sed etiam scripto innotescit; eo magis fugienda, eliminandaque, quo ea abutentes, invidia se vehementer laborare palam profitentur. Rideo ego, cum Vallam audio de se ipso praedicantem, habere se parata in quemlibet spicula: huiusmodi enim homines non loquaces tantum, sed contentiosos dicas, et insectatores; cum illud non veritatis studio plerumque faciant, sed inevitabili obloquendi necessitate, quam eorum palato mirifice prurientem, longa assuetudine confirmarunt. Satius itaque esse crediderim unica in arte firmum habere domicilium, quam in pluribus hospitari: hinc enim ea loquacitas est, quam ut molestissimam, et furentibus ingeniis obsequentem merito detestamur. Et profecto, si studiosorum quilibet uni tantum rei gnavus incumberet, longe meliores libros manu versaremus: nonnullos enim Scriptores finibus suis excedentes devios egit error: et cum Rhetores quoque, et Grammatici Theologos imitari voluerint, nonne multa fuderunt verae religioni contraria, fabularum involuta commentis, ridenda, explodendaque? Quamquam venia digni censeantur,

cum ea esset temporum conditio, quae multum adhuc de paganico ritu et abominabili, foedaque Ethnicorum caligine retineret. Verum his relictis, qui omnia se in literis assecutos falso profiteri volunt, in loquacitatem incidere, et qui hoc pacto loquaces sunt, invidiae suspicionem, et livoris notam subire necesse est. Plus igitur laudis mediocri in agello, quem impense colas, quam si latos possideas campos non frumento feraces, non vitibus consitos, sed sua Sylvano dumeta, sua Faunis salicta nutrientes. Atque ego, si de recentioribus, iisque, qui altero ab hoc seculo Scriptores floruere, sententiam feram, affirmare ausim, illos pauciora, sed melius, hos vero plura, sed deterius nosse. Et rem sic se habere comperies, quum congerrones novi scholia tantum scribant, et farragines, quas variae literaturae nomine cohonestare didicerunt. Scribunt, imo potius exscribunt, et Phorcydum is oculus est, quem mutuo accipiunt; atque omnes clarissimae aciei esse credas, quos unius tantum luminis usus aequis vicibus, et dispertito adiuvat beneficio.

CAP. VII.

Eiusdem argumenti prosecutio: clarissimi Oratoris Francisci Zappatae ingenium, et virtus.

Multum ergo arti, quam bene perceperis, tribuendum censeo. Inde enim non trita, et vulgaris, sed praecipua, egregiaque laus comparatur, quam quidem ut in sublimi positam, ita ab invidia procul esse, difficillimum semper existimavi. Quippe Artifex livent oculo alium spectat Artificem: Immo Oratores damnant non Oratores; Poetas improbant non Poetae: aut si quid utraque in facultate valent, cum egregiis certe hominibus nequaquam conserendi, quibus ut in honore sint, natura dedit, ut excellant. Ut, inquam, eo in honore sint quem sicuti bonos apud viros dubio procul assequuntur; ita quum hoc ipso per invidiam privantur, iniquo animo ferre non debent: immo, si ludibrio careant, praeclare secum actum putabunt, quum in eos putidi de trivio literatores miris modis insanire soleant. Cujus quidem rei exemplum adscribere non verebor. Nostra vidit aetas Oratorem adeo egregium, atque omnibus eloquentiae viribus ita instructum,

ut in ipso Romanum Hortensium prudentes viri agnoverint, et admirati sint. Et quamquam nullus faciei decor, nulla oris elegantia viro inesset, ut qui colore plumbeo, strabis oculis, distortis, divaricatisque cruribus, illi tamen tanta in dicendo majestas, hypocrisis tanta, ut, quo ipse vellet omnium animos facile impelleret. Eadem saepe ex illo vivente audivimus, quae nunquam ad satietatem repetita, semper placuisse testati sumus, atque illud in Urbe Florentia, quae plurimum eloquio praestat, pollet ingeniis, ita ut, quae de aliis accipit, ad limam revocet, et judicii trutina expendat. Nihilominus diobolarii Oratores tanti viri culpabant eloquentiam, nare subsannantes, inflatis buccis explodentes. Atque ex eorum numero impudentissimum quemdam agnovi, qui uno, aut altero egregii virii audito verbo, protinus veluti furore correptus, de celeberrimo conventu abiens, qua data porta erumpebat. Invidumne dixeris, an imperitum? Eidem enim arti addictus, alterum dicentem ferre non poterat, aut saltem ea de caussa patientem aurem commodare, ut ex alterius auditione et ipse in dicendo proficeret. Numquid enim torqueri debemus, aut cepto itinere desistere, cum potiorem viderimus aliquem, et felicius eo pervenisse, quo et nos omni studio contendimus? Longe

praestabilius esset ea nos assequi posse confidère, quae tot ante nos viri videantur assecuti.

C A P. VIII.

Curiositas, et inanis gloriae cupiditas.

Nunc autem, quum nos instituti ratio ad caetera stylo prosequenda revocet, pauca quaedam circa validissimum Invidiae fomentum, curiositatem dico, videntur addenda; ea enim veluti nova, sitarcia reficiuntur invidi, ut nunquam non sit, quod liventi animo quasi pabulum objiciant. Iccirco in studiosorum coetu ex illis statim audies: quid Musae? Parantne, et meditantur aliquid?

—— *ipse quid audes!*
quae circumvolitas agilis thyma!

Videbuntne lucem lucubrationes tuae? Quin potius emitte aliquid, et gloriam, quam omnes admirabili quodam desiderio spectarunt, tu ne contemne. Ita melitis verbis, quasi pueris sigillaria tradens, de unoquoque conatur invidus aliquid expiscari, et si quae moliris, et cogitas, vel nutu significaveris, differto clamabit in foro, ut quae de te accepit ad popularem auram captandam prolata vulgus exi-

stimet. Quid ergo, quum promissis stare non possis, vel quod oneri cesseris, vel quod adversae res tuae impedimento fuerint? Rideberis, et mirifica de te narrasse invidus laetabitur, nec immerito, cum ea de re, cujus incerti sunt exitus, nihil sit temere enunciandum, ne in contemptum incidas, quum praestare non valeas. Eorum insuper aures fugiendae, qui spongiarum instar humorem avidius bibunt, ut imbrem latius effundant. Sed quum, ut ostendimus, curiositate non bona laborent invidi, altera quoque addatur nota, gloriae scilicet enormis quaedam cupido. Literatorum enim plerosque is intus alit spiritus, et eo feruntur quo ducit, imo jubet ambitio. Hinc speciosis librorum titulis eruditissimos legimus, et doctissimos, quibus nec puerorum fabellas, aut si quid levius est, intelligendum concesseris. Atque illud sedulo curant alieno in scripto cum ipsi interim desides sedeant, et falso gaudeant testimonio. Nec longe diverso, et quidem ridendo utuntur artificio, qui obnixe et illud curant, ut in aliorum monumentis nomen suum grandioribus deformatum literis inspiciant omnes, et majoris auxilio characteris, tacitum non praetermittant. Exiliunt itaque gaudio, et pene desipiunt, atque eos tantummodo libros non oderunt, qui ejusmodi adulationis sti-

gmate notentur: alios omnes, qui de illis ne verbum quidem fecerunt, utpote insolsos, et illepidos: damnandos prorsus et abiiciendos pronunciant. Hunc igitur morem, qui nupere apud nostros inolevit, probare vix possum, cum, nulla habita personarum ratione, eos promiscue doctos inter et eruditos inscribi video, qui bonas artes vix a limine salutarunt. Dijudicandum enim est. quo quis encomio dignus, immo tacendum potius quam ridiculae adulationis nota subeunda. Adeo nos ab illa venerandae antiquitatis consuetudine secessimus ut vera rerum vocabula amiserimus, imo nova quaedam fuco illita, et ad vaniloquentiam facta obtruserimus. Qua in re multum de illorum Scriptorum judicio imminuitur, qui encomia hujusmodi liberius effundunt; nam se aut ingenio hebetes ostendunt, qui, quod quemque decet, dignoscere non valeant; aut, ut lucelli aliquid corradant, artem suam videntur venalem fecisse. Praeterea turpi commento, sive mendacio potius, posteritati nocent plurimum, quae tales eos esse arbitrabitur, quales isti fumum vendentes, suis inscripsere monumentis.

CAP. IX.

De iis, qui aliena furati sunt scripta, aut sua pro veteribus edidere.

Sed animadvertere licet, ex doctoribus quoque nonnullos hac inanis gloriae cupiditate laborasse; quam etsi occultam pro viribus voluerunt, per ignominiam tamen, atque eorum dedecus erupit. Illud praetereo, quod alienis interdum insidiati laboribus, suo insignitas nomine, aliorum lucubrationes ediderint. Verum iis accidit quicquid frequenti in Academia aliena Poemata recitantibus usuvenire solet, ut proprio mox auctore accedente, et eadem rursum repetente, populari sibilo fures excipiantur, inverecundiae suae coacto pudore poenam dantes. Ii vero tolerabiliores, qui antiquum aliquod volumen se reperisse commenti sunt, quod sua fabrefactum incude in lucem dederunt, et quasi prisco illo cusum seculo, Doctorum judicio comprobandum objecerunt. Nec laude caruit Sigonius, qui dum consolationem exhibet suam, illud assecutus est, ut brevi in opusculo, veluti faciei lineamentis, Tullianam indolem inesse faterentur eruditi. Quin et magna illum voluptate perfusum credo,

qui vivens adhuc plurimos viderit de literis benemeritos, ad illud syntagma defendendum, certamina, et contentiones hilari, libentique animo subeuntes. Ad haec Rumetus dum Tragoediam antiquam invenisse testatur, doctis imposuit viris: talis enim erat orationis incessus, tale sententiarum pondus, ut illi. ad antiquitatis fidem, nil praeter aetatem deesse videretur. Verum ipse mecum; quid obest, si nova haec esse intellexero? Admirabilius certe est, si quum nova sint, Romanum tamen candorem, et veterum stylum praeseferant; non enim obstupeo, dum communi in opulentia dives es, sed te, publica in egestate, domi tuae abundantem apprime felicem pronuncio. Quod si quae adnotavimus, cenodoxiae non videntur adscribenda, ii saltem, qui ejusmodi utuntur instrumentis, ab illa, quam odimus, arte simulandi alieni esse non possunt.

CAP. X.

Literatorum odia, et rixae; irrisio itidem, et maledicentia.

Verum ea de re satis; ad nostra, et propiora redeo. Et sicuti honestatis quoddam velum ambitioni obtendentes non pe-

nitus improbamus, ita qui dignitatem amplissimam putant, si studiosorum quamplures in famulatu habeant, per quos odia, et inimicitias cum doctioribus exerceant, eos quidem literatores abominandos existimamus. Per illos enim dissidia, et factiosi, ut ita dicam, conventus, quibus non virtuti ornamento sunt, quum vel infimae plebis risum, et dicteria vix effugiant. Quae quidem ambitio ne sit, an invidia, non facile agnoscitur: volunt enim suspici, colique, et si cui frequentiorem esse videant ejusmodi familiarium copiam, animi dolore torquentur. Quapropter qui literati viri consuetudinem quamdam, et amicitiam novus affectat, multum cavere oportet, ne cum alteri impense studet, alterius in se Invidiam provocet. Prudentiae itaque anchora insistat, ut omnibus amicus, familiaris nulli, quamlibet in se per technas, et dolos saeviendi facultatem impediat. Sinito rabidas canes sese mutuo petere admorsu; tu vero istorum stultitiam tacitus ride. Classicum enim ciet, et in praelium ruit insanientium turba, atque ea est pugna detestabilior, quod non corporum laniena, sed famae paratur interitus. Huic igitur pervicaci rixandi studio vitium aeque improbandum adiiciunt, contumeliam scilicet, qua ultro, citroque sese pessime accipientes, nullum contemnendi, subsan-

nandi, irridendi locum praetermittunt. Irrisio enim, et ipsa in Invidiae familiam asciscitur, quum per eam, ut quis ludibrio sit, facillime efficiatur. Qua de re vacuae illis aures praebendae non sunt, qui quum in sermonem de aliquo incidant, sententiam ferunt suam irrisione permixtam. Quippe et in scriptis ea irridere solemus, quae frivola existimamus; atque eamdem in legem familiaris quoque consuetudo vocatur, et sermo. Quaequidem irrisio hostilis est, et inimica; et quamvis interdum urbani joci speciem assumat, nihilominus suspicione carere non potest; imo ut plurimum ingrata sunt, quae licet salse dicta, animi palato quodammodo nocent, et ut insuavia damnantur. Verum si scommata, et cognomenta ad irridendum composita requiras, quilibet Invidus eorum mirus artifex est. Quippe non ea tantum, quae laude digna, sed levissima quaelibet vitia, seu mavis errata, censoria notat virgula, notata divulgat. Et sicuti parva dictu animalia crystallo inspicienda proponimus, ut quae prius milvinos oculos effugissent, miro augmento vel hebetiorem aciem sustineant: ita nefarii susurrones in illud juxta incumbunt, ut minuta quaelibet in majus extollant. Atque inde fieri puto, ut iis, qui cum auctoritate sunt, quorumdam homi-

sunt vitia prius innotescant, quam virtutes. nFaeor equidem humanis mentibus natura comparatum, ut facilius, si quid perperam patraveris, agnoscamus, quam quod cum virtute conjunctum. Sed et illud non me fugit, ejusmodi hominum genus aliena curans, sua vel negligens, vel dissimulans, ex iis plerumque esse qui Caerite cera digni, et sutorio atramento notandi, probitatis tamen, et scientiae famam affectant. Habet insuper Invidia funditores suos, et sagittarios: ii sunt, qui nova quaedam cognomenta comminiscuntur, per quae multitudo ad credendum prona, verum ésse existimat quicquid in alterius famae imminutionem invidus proclamabit. Academias, et celeberrimos circumspice conventus; ubi quis alterum oderit, aliquod statim ex iis, de quibus loquimur, cognomentum parat, invulgat, et levissimorum adolescentium auxilio, hominem ponit ludibrio, convicioque jactandum. Quos quidem institutores proba ingenia utique damnabunt, qui solidioris doctrinae, politiorisque literaturae loco, suos addocent Auditores rixari, garrire, et praeclaros quoque viros maledictis insectari. Nonnulli tamen contentiones hasce, de quadam lucri cupiditate ortum ducere opinantur, quum liberales quoque artes, et studia venalia esse videamus. Sive igitur, ut crumenam

bene nummatam reddant, sive ut soli sapere videantur, ad ea, argumenta confugiunt, utrumque tamen Invidiae respondet, quum et animi bona, et ea, quae dicimus a Fortuna, respiciat.

CAP. XI.

Rixae iterum, et contentiones. Etrusci Scriptores laudati. Nonnullorum opinio reprobata falso asseverntium, eorum ope Latinam Linguam illustriorem evasisse.

En igitur in quo haereant scopulo literatorum plurimi, imo quo rauco ferantur aestu, avaritiae scilicet, hianti ore lucellum undequaque captantes. Iis ergo invident, quorum frequentius Auditorium est: hinc Rhetores audias exclamantes, nil admirabilius esse eloquentia, quae per floridulos campos, non per quaestionum, et sosphismatum senticeta progrediatur. Philosophi e contrario canoras ajunt esse nugas quidquid de humaniori palaestra desumptum, quum solidiori cibo debeat animus delectari, et Poetarum commenta sint pueris relinquenda. Quanquam sicuti ea certamina toleramus, ita non nisi iniquo animo ferre possumus, quorum Invidia ab imperitia est. Ii enim ad judicuim de unoquo-

que ferendum faciles, et quibus id modis peragant, nil pensi habentes, utuntur promiscua caede, et furentibus similes arma in hostes, quos non novere, convertunt. Audivi, audivi ipse Salicippium quendam, qui ut sententiam tueretur suam; Latinam scilicet linguam aliis omnibus antestare, nostrate idiomate Poeticum pangentes, aut aliud quidpiam scribentes vehementer improbabat, ut qui sermone jejuno, et manco, nullum laboribus suis gloriae fructum percipiant. Quin jactator ille non quosdam e vulgo, sed sublimia capita Petrarcham Bembum, Torquatum, in quos inveheretur, delegerat. Oh perfrictae frontis hominem, et male feriatum, qui nondum didicerit, eos omnes, qui elegantius commodiusve vernacula hac lingua scripsere, tum Graeca, tum Latina volumina, nocturna, diurnaque manu versare non erubuisse. Imo illud affirmare ausim, vix reperiri dignos, qui apud nos in Poetarum, Oratorumque numero habeantur, quin prius in Romanae eloquentiae campis spatiati sint, et genuino, ut ita dicam, sermoni preciosa ornamenta de illo vestiario compararint. Bembus enim, Sannazarius, Amalthaeus ut de aliis quamplurimis taceam, cum Etruscam linguam lucubrationibus suis, veluti nova ope ditaverint, non parvam gloriae portionem videntur assecuti.

Quos quideu egregios viros quanta detinuerit Latialis elegantiae cupiditas, quidque ea in re ipsi valuerint, nemo non novit. Quaprópter non parum de eorum judicii trutina minueretur, si illud scriptionis genus delegissent, quod non illis laudem, sed contemptum potius, et nominis jacturam foret allaturum. Quare ergo dicacissimus homo, hos veluti de trivio literatores, flagris accipiendos, damnandosque inclamabat? Vere vere; damnant quod non inteligunt, quumque ipsi emittunt aliquid simile, illepidi, inconcinni, imo faeculenti, et barbari risu, et populari sibilo.excipiuntur. Aliis itaque considerandum relinquo, quomodo istiusmodi homines Latina monimenta pueris nostris explicaturi sint, cum illius sermonis vim nequaquam assequantur, in quem illa convertunt, Hinc latinae dictionis usque ad satietatem commendatio. Qua quidem in re fraudandi laude non essent, nisi ipsi plerumque deturparent illud, et perderent, cujus ex officio deberent esse custodes. Sed ad veritatem refractarios coercere quis poterit? Nostris hisce temporibus quosdam videre licet, qui nova Latino sermoni, ornamenta comparasse, atque illius dignitatem ad summum apiceu evexisse gloriantur. Atqui Jovianum, Politianum, aliosque complures insignes viros dicendi for-

mam ab iis accepisse, nunquam audivi. Quod si neque illud praestare poterunt, ut aliquem auctoribus, quos supra memoravi, comparandum ostendant: quomodo nitorem novum, et novas delicias Romanae eloquentiae acquisivisse, ampullosis proclamationibus vociferantur? Barclaii certe cimbalus ad nostras aures non facit. Plaudunt quidem istiusmodi Scriptoribus adolescentes, quos pulchella periphrasis, fucata metaphora calamistratae voculae delectant; sed ea penitus prudentes viri respuunt, et siqui floridiori stylo capiuntur, unus illis Plinius junior est multorum instar. At de his hactenu; cumque, ut ostendimus, jactatores isti, et contentiosi vitiligatores Invidia rumpantur, sordida itidem lucri cupiditate detenti, alio nos properare non taedebit ut in caeteris quoque rebus studiosae Juventuti arma commodentur; atque Invidorum doli detegantur, et frandes.

CAP. XII.

Novae Invidorum technae ad Juventutem ab incepto deterrendam, et contra.

Atque, ut inde initium dicendi faeiam, nemo in dubium revocat, eam esse huma-

nae mentis rationem, ut, cum vita ipsa, qua fruimur, brevis sit, et fluxa, aliquid semper excogitet, ut sui memoria nominis ab oblivionis injuria vindicetur. Hinc conjugii vinculo astrictos miro liberorum desiderio teneri videmus, quum et optabile sit haeredem habere, et patrum imagines agnoscantur in filiis. Ut igitur corpora, ita sui propagationem humana quoque mens concupiscit, quotque ab ingenio volumina, tot suscepisse filios existimat. Quod quidem animi votum laudabile est; quique a scribendo abstinent, quum tanto se oneri non senserint impares, hi quodammodo humano usui, seu mavis voluptati, adversi sunt, et injurii. Atque ea in re aptos simul, et ineptos observat Invidus: aptos deterret usque ad satietatem inculcans; Nonum prematur in annum. Ad haec, similia musto juvenum scripta, senum vero vino generoso, quodque aetatem ferat, dicit comparanda. Ego quidem inficias ire non possum, quaecumque scripseris diutius esse prae manibus habenda, retractanda, iterum, ac tertio ad examen revocanda. Imo illud accidere credo, quod plantis usuvenire ajunt, ut, quae tarde crescunt, firmiores sint, eae vero, in quibus praepropera luxuries efflorescit, celerius pereant. Sed Horatii quidem sententia benignius, ni fallor, accipienda; nam qui sinuosa scripsere volumina, si

dicto paruissent, profecto Literaria Respublica magno usquedum careret ornamento. Hanc itaque vocem usurpat invidus, ut quis ab instituto opere desistat; contraque ineptos cohortatur, et allicit, et gratiolae popularis quasi lenocinio demulcet. Mature, inquit, facto opus est; vulgi dicteria contemne; ni, quod paras, edideris, propriae te virtuti, dignitatique fateberis adversantem. Ita animos facit, et quum nescio quid monstri alat, paulatim eo juvenem ducit, ut aliquid sibi sapere videatur. Quod si detur, ut quae scripseris, expectationi non respondeant, oh quae voces, et undequaque vagantes rumusculi! Habes in invido omnis obtrectationis promicondum: sciolum te dicet, feroculum, dicaculum, et ludibrio expositus invenisti modum, quo invidus laetaretur.

CAP. XIII.

De ociosis, ut qui prae ceteris Invidia laborent: ubi de industriis quoque viris nonnulla.

Verum in ociosos viros Invidiam plerumque cadere comperimus. Segnes apud, et desides habitat mala Dea, qui cum nihil de ingenii sui penu depromere valeant, alienis laboribus linguae petulantia

insidiantur. Et, ut superius ostendimus, calumnia, loquacitas, curiositas, eae omnes ab Invidia. En subrostranos, et tabernarios, quos totos dies sedentes videas, nugantes, garrientes, et cum quaedam loca frequentent ut de eruditorum choro esse videantur, si qua de re eos serio interroges, topicum quiddam paratum habent, ut scilicet, quae non ex ioco inquiris, ipsi, ut scurrae velites, in ludum, risumque convertant. Sed et alios invidos invenio, quos quidem minime ociosos dixeris; eos enim, ut sese studiis exerceant, ambitio quaedam extimulat, qua peritos inter viros recenseri impensius multo desiderant. Atque horum hominum Invidia ea in re praecipue dignoscitur, quod sibi solum sapientes aegre cum aliis communicant quae sua industria perceperint. Omni itaque in caussa cunctantur, et ambigunt, sententiam suam nunquam satis aperientes: et quamvis probe noris, aliquam ipsos rei scientiam tenere, nihilominus eos maxime timentes videas, ne quas ipsis furto abstuleris, versicoloribus pennis exorneris. Verum eos summa rerum inopia laborare existimo, dum aliquid alteri impartientes, sibi paupertatem reformidant.

Exilis domus est, ubi non et multa super- (sunt,
Et dominum fallunt, et prosunt furibus—

Ad haec, non tantum; quae didicere, sed

fontes ipsos, libros dico, de quibus illa hausere, hoc animi vitio celant; cum ex iis sint, qui semper ex commentario sapiunt. Bene cum illis actum puto, quod nostro hoc aevo nati sint: nam si in ea incidissent tempora, quum Italia haec nostra exterarum gentium incursionibus, atque internis vexata dissidiis, tanto librorum carebat, diuque caruit apparatu, nullum extitisset illorum ingenium. Norint itaque pluris esse judicii unciolam, quam totas putidae eorum eruditionis farragines. Vidimus enim nulla literarum cognitione, sed usu rerum peritos, et naturali quadam ingenii bonitate, eo pervenisse, ut celeberrimos Scriptores aequaverint.

CAP. XIV.

Invidis adhibita admonitio, et quam abominabiles sint ostenditur.

Sed et vitii foeditatem invidi homines detestari condiscant: quid enim miserabilius, quam alienae prosperitatis augmento comminui? Quid turpius, quam aliena gloria contabescere, et, ut aegrotis quibusdam usuvenit, proprio morbo innutriri? Invidia enim anxia est, sollicita est, inquies est, et veluti tabida febre correpta, angitur, cru-

ciatur, et quod alteri prodest, illi apprime nocet. Quod si ab invidendo ejusmodi rationibus non deterrentur, hoc unum saltem apud illos maximum pondus habere deberet, quod ea de chussa viles, inhonestique existimantur. Nam si ille nobilior est, qui sui imaginem conditoris magis repraesentat; quomodo, quum Deus de immensa bonorum largitate communicet, non vilissima, et abominabilis invidia est, quae alieno tantum malo laetatur: tunc sibi beata, et felix, quum quis eorum, quos dejectos vellet, aut rerum, aut famae jacturam fecerit? Quomodo, inquam, ferendi sunt hi, qui quum viribus suis diffidant, aliorum virtuti infensi sunt, et steriles ipsi alienam liventi oculo spectant foecunditatem? Homines certe nequissimi, qui in illud nati videntur, ut molesti sint, et pro virili sua virtutem impediant.

C A P. XV.

De Invidia contemnenda.

At sicuti turpe est Invidiae morbo laborare, ita studioso viro prorsus indignum invidorum oculis adeo commoveri, ut cessandum sibi potius, quam ea quae sibi proposuerit, ad umbilicum existimet perducenda. Non enim generosae indolis alacri-

tas Invidiae concedit; sed cum optime norit se inter ardua, et difficilia positam, in praeruptum, ubi virtus considet, verticem conatur evadere. At esto, multum sibi cum invidis negotii sit: sicuti umbellas evanidas in pictura conspicimus, quibus efficitur, ut sese rerum facies magis ostendat, et occulta quaedam promittat: ita virtutem persaepe alta petens livor patefacit, quum in imperitis hominibus nihil sit quod Invidorum rabiem excitet, vesaniam irritet. Quamobrem timorem prorsus abiiciat studiosa Juventus, et quanquam de bonis artibus, literisque Cadmeam Invidiae segetem oriri videat, sibi dictum putet:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Quod si obtrectatorum formidine a bonis operibus abstinemus, parum videmur, quid invidia sit, et quo ipsius vires extendantur, intelligere. Illud enim tenendum est, eam tantum in viles animos, et prava ingenia cadere, quae alienis bonis torqueantur. Cumque rerum omnium Arbiter praeclarae mentis dotibus te instructum voluerit, peccas nisi utaris. Viros etiam vitae sanctimonia, doctrinaque insignes nonne vides adversantium telis obnoxios? quid Cicero? quid Aristoteles? Morsibus patent, et vulneribus. Sed quamvis Aristoteli detrahant, Ciceronem vellicent, uterque tamen summi Philosophi nomen nunquam amittet; lingulaci

vero isti contentiosae nequitiae notam nunquam effugient. Invidia igitur aut ferenda est, aut tollenda; tollendae autem spes conclamata: laboravit, et semper hac peste laborabit Orbis. Hoc unum superest, ut patienter feras quicquid corrigere est nefas, immo etiam contemnas. Nam licet famam bonam diminuere omnibus nervis contendat, ea tamen utique bona est apud bonos. Virtutibus autem, et sapientiae quomodo fraudi erit, quum humano non subiaceant arbitrio? Quicquid in Deum vesanae linguae, hoc ipsum facit in viros candidi pectoris, et firmae eruditionis Invidia. Jaculantur in communem patrem, largitoremque bonorum verba nequitiae; ipse vero nihil movetur, utique firmus, nullis perditorum hominum injuriis obnoxius.

BENEDICTI MENZINI

DE

INANI GLORIAE STUDIO

DIALOGUS

DE

INANI GLORIAE STUDIO.

Ad Illustriss. Equitem

JOANNEM BAPTISTAM D'AMBRA.

Vides, BAPTISTA inclite, et generose ut bonis artibus, et studio dediti, ocio damus, et literis quicquid florentis aetatis adhuc superest, iis ipsis, si sors arriserit, senium quoque daturi. Me itaque disserentem, seu ludentem potius, et humana isthaec fluxa, et evanida contemnentem benignus accipito. Quod quidem a te expectandum videtur, qui, et morum suavitate, caeterisque animi dotibus, quum veram sis laudem assecutus, scriptionis hujus argumento, qua falsam, inanemque gloriam carpimus, et suggillamus, mirifice delectaberis. Quum itaque in suburbano essemus ego, et, qui mihi comes erat, ornatissimus adolescens, ubi paulum quievimus, et viridante toro consedimus, ad hunc ferme modum sermonem instituimus.

Benedictus. Aspice sis perantiquum isthoc numisma; cujus imago est?

Auditor. Aedepol nec titulum video, et quem repraesentet penitus ignoro. Atqui ultimi nominis artifices consuevere picturis invenustis ascribere; haec Dido est, aut Helena. Quidquid itaque rudi in opere cognitionem adjuvat, illud quoque in icone elegantissima lubens requiro.

Bened. Ergo tibi inglorius est Alexander ille Macedo, cujus mira est nominis celebritas. Nonne audisti, quod siluit terra in conspectu ejus? Uni ergo tibi ignotum est, quod et cerdo depraedicat, et tonsor dilaudat; quin et comparatiunculam captantes Rhetores unum resonant Alexandrum.

Aud. Pudet me, quod tantum Heroa non agnoverim, et, ut par est, totus rubore suffundor.

Bened. Ne erubescas, honestissime adolescens; nam si tunc, cum aliquid nescis, erubescere volueris, nulla erit erubescendi finis. Putas ne, quod, et Philosophus quousque argumentis suis procedere debeat, penitus intelligat? Nec tamen erubescit. Absit itaque, o bone, quod de tantula re, qualis est unius numismatis ignoratio, immodicam contrahas verecundiam.

Aud. Atqui turpe est ignorare notissima.

Bened Earum certe rerum, quae proprio

tibi sint munere exercenda; de aliis non item. Nam si de capillis in cornu deformatis Hammonis filium nec de obtorto collo Alexandrum agnovisti, quid ad te? Cujus faciem ignorasti, innumerae quoque gentes ne nudum quidem audivere nomen. Da quod Caucasum transcenderit, quod Gangem transnaverit, quantula tamen terrae portio est, quam tantis potentiae viribus suam fecit! Iniquis ergo spatiis gloria humana discluditur; quae ut dilatari velit, utique tamen in angustiis haeret.

Aud. Ego vero gloriosum fieri valde dignum puto, in quo nostra omnis desudet industria.

Bened. Post pudorem illum tuum en alterum insaniae lusum. Utrumque tamen adolescentiae morbum, nam et gloriae est appetentissima, atque ipsius vix affulgente nomine mira quadam mentis alienatione obstupescit.

Aud. Strychnum ego certe non bibi, quod me tam facile dixeris insanire. Sed et me tibi audientem esse oportet; quanquam pro re nata, argumenta, quibus insistam, satis superque suppetant.

Bened. Ille insanissimus est, qui se in humanis insanire non credit. Nihilominus si quid habes, quo ingenium ostendas, in medium profer; vires exere; gaudeo enim, quod paratus sis referre.

Aud. Non tu mecum ipse pugnabis, sed cum Philosopho praestantissimo, ac Romanae Eloquentiae patre M. Tullio, qui suis in scriptis adeo ad gloriam comparandam animos excitat; adeo in gloriae laudibus frequens est, ut qui illius igniculos non sentiunt, ii mihi penitus frigere videantur. Nonne tanto duce, tantoque auspice iter istud arripiemus? Nam si inglorios improbamus, inde fit, ut qui gloriam appetunt, summopere laudemus.

Bened. Vera dicis, si et illud verum est, quod inglorium esse valde sit improbandum. Et oh factum bene, quod tanti viri patrocinio utaris! caussa certe non cades, et ut Origenis verbis utar, feres quidem *καρπὸν τῆς προςτασίας αὐτοῦ*. Verum et ego ostendam breviter isthoc ipso argumento, non inanem tantum, et fluxam, sed et gloriam quandoque valde perniciosam esse. Idem enim ille Cicero, cujus praesidio gloriaris, dum se ipsum quam creberrime de rebus pro Republica gestis jactat, dum Catilinae, ceterorumque conjuratorum arma, et consilia suae concessisse togae depraedicat, magnam sibi conflavit invidiam. Quod quidem illi nequaquam accidisset, si vixisset sibi, et se ab immoderata gloriae cupiditate temperasset. Quod licet illud dederim, gloriam bonam esse, non tamen illud sequitur, gloriam semper expetendam. Nam quae

bona sunt, interdum non bona. Bonus ne est ignis?

Aud. Quis negat?

Bened. At igne domos comburimus, agros urbesque vastamus; et cultro panem scindimus ad vescendum, et hominem interdum occidimus. Vides itaque, quae natura sua bona sunt, eorum caussa quibus applicantur, pessima evadere. Gloria ergo non bona, si medios in hostes coniicit, si invidiam parit, si homines alioqui egregios summa in discrimina adducit Quod quidem quum accidere videamus in re laudabili, quid futurum putas quum quispiam ambitionis ergo gloriam quamdam videtur concupiscere? Et Sallustium, quo cum Milonis caussa magnas Cicero susceperat inimicitias, haec illi non sine apertissima indignationis nota, objecisse palam est. Nec defuere qui ex iis laudibus, quas sibi immodice tribuit, illum inepte tumidum fuisse faterentur. Quo tandem haec omnia erupere? Sortitus est exitum qualem parricida, aut sacrilegus. Eane conditione gloriam quaeras, quum videas illam in ignominiam converti, et de laudis cupiditate superesse nihil praeter exitium?

Aud. Atqui istud fortunae tribuendum existimo.

Bened. Satius itaque agas, si gloriam contemnendo, fortunam ipsam antevertas. Nam sicuti quaedam sunt corpora, quae aliis im-

mixta corporibus, quod prius erat pigrum, et torpidum, ad motum excitant; ita per fervidos istos gloriolae igniculos saevienti interdum fortunae ductus aperimus, et caeca, ut Poeta loquitur, relaxamus spiramenta. Tu vero (nam ea tibi ab adolescentiae vigore audacia est) acerrimos quoque in hostes incurreres, dummodo suavissimo isto gloriae fonticulo sitim expleas.

Aud. Ita est. Et si necesse fuerit, mortem etiam oppeterem.

Bened. Mortem etiam, o bone?

Aud. Etiam.

Bened. Ergo et ad bellum ires, et in vesana illa versareris Martis laniena?

Aud. Quid ni?

Bened. Parce quaeso, adolescens, inertiae meae, parce formidini. Vos quidem Heroas dicitis, qui urbes, et oppida evertunt, quos cadaverum strues luctuosa circumstat; qui paupertatem, et famem colonis afferunt, per quos suus non stat virginibus intactus pudor, non patribus de filiorum felicitate laetitia, non artibus nitor, non templis pietas atque interdum (quum religionis obtentu bella suscipitis) non firma religio. Ista itaque perpetrantes ad Coelum fertis, et rumore secundo, ut ait Poeta, evulgare non desistitis. At mihi virtus isthaec furor est, aut scelus, quod merito natura oderit, ut sibi adversantem, et praeclara illa, quibus ipsa magis elucet, opera destruentem.

Aud. At naturale quiddam bellum: est nam, et ipsa natura utique in motu.

Bened. Malum autem nequaquam. Et quietem quidem natura appetit, non turbas, ac dissidia. Vos tamen incertos bellorum exitus non pertimescitis: nam vulneratis gloria est, quae cicatricem obducit, captivos gloria redimit, et funestissima quaelibet gloria vertit in hilaritudinem.

Aud. Ludis tu quidem ut soles, iucundissime. Sed amoto joco, pusilli animi est egregia facinora non prosequi ea tantum de caussa, quod finis dubius est, et ambiguus.

Bened. Ut sententiam laudo, illud tamen non valde placet, Prandete apud inferos coenaturi. Nam quod gloriam superesse ais, en ferreum illum nodum, quo vinciris miser. Vivam enim vivis famam dico, mortuis vero mortuam. Et Homericum illud meminisse debueras, quo canoras istas nugas Achilles elevans, vel unicam vivorum dieculam toti illi mortuorum censet imperio praeferendam. Audi illum Graecis, et Latinis numeris occinentem

Βουλίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ανδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς ἔίη,
Η πᾶσιν γεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσ-
(σειν.

Quae nos ita expressimus.

Sat mihi, si vitam exigui, vel pauper agelli
Cultor agam, vel servitii miserabile pondus
Ipse feram, atque inopi solvam jejunia victu,

Quam toti regnare Herebo, sceproque potiri

Aud. Oh te ad humaniores Musas vere natum, et dignum vere, quem juventus omnis studiosa suspiciat, qui tam venuste, tam graviter ista reddideris.

Bened. Ne dixeris, Adolescens festivissime Nam quae tu miro quodam amoris excessu dilaudas, ipse tenuitatis conscius meae vix approbo. Sed ad institutum redeamus quaeso, et ab armis procul, bellica isthaec studia perpendamus.

Aud. Placet.

Bened. Et ego quidem coniicio unde illud accidat, ut tantopere sis propositi tui tenax. Nam multa occurrunt, quae se facile pectori tuo ingerant; ut puta, sanctissimus ille patriae amor, quem dilaudant omnes, nec ulla ferme pagina est, quae illius ardore non incalescat. Tantum hercle consuetudini tribuendum est, atque primis illis institutionibus, vocibus quoque, quas nobis, quum pueri sumus, instillant, ut quum petriae amorem audimus, omnia nos illi debere vel si mors sit obeunda, arbitremur. Sed quid amabo rationis afferes quare in patriae sis dilectione plurimus, et si operae pretium fuerit, vitam quoque contemnas?

Aud. Quam rationem! Imo multas, easque maximas. Commoda enim, voluptates, honores de patrio solo nascuntur. Et ami-

eorum quidem consortia multum momenti habent, ut tranquille vitam agas: et ea tibi abunde suppetant, quibus animus oblectetur.

Bened. Bona quidem dinumeras, mala vero praetermittis, quasi ea sit sincera dulcedo, quae desinit in amaritudinem, et vinum sit optimum, cui tantum sit faecis admixtum. Epicurus ajebat, voluptatum loco eas non habendas, quas subsequeretur aliqua doloris appendix. Tu vero quum bona patriae dilaudas, oblivisceris, ut video, odia, aemulationem, invidiam• quae in amplissimis urbibus sunt frequentissima. Quare ergo non asseris fugiendam esse prae malis, sicut censes propter ea, quae putas bona, diligendam?

Aud. Jure civitatis astringor. Quare eam ergo non amem, quam mihi lex ipsa commendat?

Bened. Praestaret certe uni Deo subditum esse, mundi vero civem. Adeo ut si patriae communis partem aliquam bella divexent, in aliam transeas, et ibi stationem civicam putes, ubi tutam, et voluptuosam experiaris. Volucres ipsae, nonne vides? non uno in loco sistunt, sed alio, et alio advolantes patriam ibi faciunt suam, ubi tepet aura, et dulces aquarum saliunt venae; et suavior esca proponitur.

Aud. Atqui qualis qualis patria est, in ea incolenda, amanda, defendenda plurimum in est gloriae.

Bened. Ut hunc quidem ex te finem assequaris, ex aliis certe non item. Nam quae gloria est, quae non transit ad posteros? Vere Sulpicius inquit, oppidorum cadavera projecta jacent; quid putas nomina, quid egregia facinora? Cuncta secum rapiet durissima isthaec temporis inclementia. Quod si bonum aliquod in eo maxime praelucet, quod durabile sit, falso inter ea, quae bona dicimus, fluxam hanc gloriam ascribimus.

Aud. Non nego. Sed cum domi militiaeque quam plurimos videam, illam impense sectantes, vix crediderim de bonorum albo corradendum illud, quod plures tantopere concupiscunt.

Bened. Verum si tecum ipse perpendis, quod hominum plerique mirifice insaniunt, quo istud recidat argumentum, jam tenes.

Aud. Hoc unum saltem mihi responde. Nonne omnium consensu durissima censetur servitus?

Bened. Quid inde?

Aud. Video ego quamplurimos gloriosam hanc servitutem media in aula aucupantes. Hinc itaque facile colligo gloriam non esse contemnendam, quam per durissima quaelibet investigant homines.

Bened. Et servitus fugienda, et gloria isthaec rejicienda; utraeque enim larvae sunt humano ingenio mirifice illudentes.

Audi illos quid secum obmurmurent. Spectabilis ero, et humilis plebeculae auram captabo, in me ora omnes obvertent sua, et meum utique praesens erit, et tutelare numen. Ita illi: et quia gloriae dulcedine illecti, imo, quia ficta illos fascinavit pulchritudo, in servitium ruunt. Et quidem aliter loquerentur, si sentirent aliter. Donum vestrum est, o superi, libertas ista, qua fruimur; quare ergo illam dementes abjicimus, et illud sedulo quaerimus, quod vel ipso titulo nos maxime infelices ostendit?

Aud. Jam ut militiam damnes, et gloriosam istam servitutem non probes, eos certe laudabis, quibus, ut gloriam assequantur, chartis placuit impallescere.

Bened. Phua; et hic quanta illusio est! Nonne putas Aegyptios apud, et Arabas viros fuisse doctissimos, quorum fama maximis adjuta monumentis, tamen evanuit, neque illud assecuti sunt fortunae beneficium, ut ad nostra usqne tempora pervenirent? Sed quid barbaros dico? Romanos illos Cassium, et Hortensium, aliosque celeberrimos vide: de eorum scriptis omnis quidem apex intercidit. Bonum ergo quis credat, quod fortunae commissum?

Aud. Atqui mortales pene omnes, qui aliquid in literis valent, dulcem hanc insaniunt insaniam; et ii tantum ad Socratem appellant, quod nihil scripserit, qui

se scribendo non senserunt idoneos. Et, ut proprio te telo confodiam, nonne et tu aliquid semper moliris, in lucem edis, et illud de te dictum vides

——— *tenet insanabile multos*
Scribendi cacoethes: ———

Bened. At ne me ad gloriolam captandam id facere existimes. Nam praesentem tantum, dum scribo, voluptatem respicio; eo scilicet pacto, quo et qui canit, aut saltat, ipsomet cantu et saltatione gaudet, non in futurum sollicitus. Et re vera, si et qui bella gerunt, et qui servitutem non aversantur, hunc sibi finem constituunt, ut voluptatem suam expleant, armorum quoque strepitus laudo, et servitii jugum non detrecto. Sed gloriam inde quaerere inane est. et humani ingenii ludibrium. Tu itaque facito quae gloriam merent, non tamen ad gloriam. Imo, si in Deum optimum maximum omnia retuleris, atque illi tantum placere studueris, hac una tantum in re vere bonum, vere laudabile: sed si terrena respexeris, fluxa haec omnia, inania, et caduca reperies.

LATINAE
EPISTOLAE

LATINAE EPISTOLAE

VIRO CLARISSIMO

ANTONIO MARIAE SALVINIO

S. P. D.

BENEDICTUS FLORENTINUS

Vix dederam ad Averanum Epistolas amoris in illum mei, et officii notis insignes; quum et illam quoque non incertam captavi famam, te in perillustris viri locum esse sublectum: videlicet cui Graecas Literas in Academia Florentina commiserint praelegendas. Quicquid itaque Averano ingenue, et amice scripsi, tibi quoque V. C. scriptum volo. Quid vero scribere potui, nisi gaudere me, quod ea aliquando tandem occasio data sit, quae utrusque vestrum virtutem in maximam hominum lucem ferat? Nimirum duo vos unice diligo; et ambobus, quod praeclarum munus, alter Florentiae, Pisis alter sitis assecuti, vere, et ex animo gratulor. Vale. VI. Id. Decemb. MDCLXXVI.

Eminentiss. ac Reverendiss. Dom.

S. R. E. Card.

FRANCISCO ARCHIEPISC. NERLIO.

Benedictus Menzinus presbyter S. P. D.

Diversa quidem in Ecclesia Dei membra esse, unum autem corpus, frustra testaretur Apostolus, nisi, et illorum qui parent, ad eos qui auctoritate praestant, conspiratio quaedam, atque unus quasi concursus existeret. Quapropter sicuti in corpore tum nobiles partes, tum ea, quae non inconcinne dixeris membra servilia, magnarum mutationum sensu afficiuntur, ita et in Ecclesiastica Hierarchia quidquid acciderit omnes omnium ordinum homines commovere necesse est. Perculit sane me EMINENTISS. DOMINE, quod florentissimam Patriam eo intellexerim praesidio destitui, cui quidquid in omni virtutum genere profecerit, et ipsa debeat, quam maxime, et volens lubens fateatur; nam quanta per te facta sit in commisso tibi grege, et pietatis, et eruditionis accessio, quum tacita mecum aestimatione perpendo, tibi quidem gratulari par est, qui Columbam istam nitidis-

simam medios inter Cleros habitare voluisti, cujus pennas argento illustrat integritas, et superiora dorsi ejus obducit ipsa omni auro pretiosior sapientia. Ipse enim et artium Doctores, et morum magistros dedisti, de quibus juventus, quam sibi Deus praeelegerit, vasa Domini non indigne portare condisceret, et ipsam quoque Doctrinam sacra tractantibus apprime necessariam non aspernaretur. Nam fides, in qua stamus, quum divinorum sit eloquiorum dux, quae circum objecta versetur non illi quidem probe noverint, qui et patrum monimenta percurrere, et Theologicis istis arduum sane putant incumbere. Primas ergo integritati concedimus: sed profecto nonnulli, quum alteram impense colant, alteram stolide negligunt; quasi illud ignorent pietatem, atque eruditionem inter se mirifice conspirare, atque alteram alterius valido praesidio confirmari. Te itaque, Eminentissime Domine, hanc praelucente facem Aegyptiae istae ignorantiae tenebrae discussae sunt, atque illud tibi apprime debemus, quod non paucos videre liceat, qui et acute disputent, et declament acerrime, et sacras ad populum Homilias habeant non ineleganter, atque ex iis sint, quod non in postremis habendum, qui Graece etiam et loquantur, et scribant. Quod quidem ad germanos illos Scripturarum sensus percipiendos maxi-

me conducit. Illud igitur venerabilis Antistitis exemplo comparatum est, quod Florentina Civitas Presbyteros habeat pietate conspicuos, et eruditione non contemnendos. Deinde vero, si per innumeras virtutum tuarum laudes ire, egregia illa, qua alios omnes antevertis, benignitas patitur, quum suis ab incunabulis Ecclesia sit ab omni prorsus onere libera, et immunis pro ista, quam dicimus, libertate tuenda, quid laboris insumere, quid discriminis adire non dubitasti? Et profecto ea in re leges, ac jura insurgere necesse est, quum paulatim quorumdam vitio, qui potentum in saeculo placitis obsecundant, prisca illa, ac venerabilis Ecclesiae auctoritas infringatur. Quae quidem per te firma semper stetit, et inconcussa, eo tamen temperamento, ut et in ipsa judicii integritate praecipua illa, et peculiaris Principum Virtus, Clementia quoque innotesceret. Clementia inquam illa, cujus tu diverso quidem in genere mirificum sane specimen exhibuisti, quum et morte damnatos absolvi, nec sanguinem fundi, sed mitius in eos animadverti voluisti, ut sic poenas luendo justitiam, unaque admirabilem pietatem, humanitatemque tuam testarentur. Agnoscant itaque quicumque Archiepiscopalem hanc Sedem in posterum fuerint assecuti, quo in nos animo esse debeant, qui EMINENTISS. NERLIUM Ecclesiasticae

Immunitatis assertorem, Studiorum, bonarumque Artium propagatorem, atque ipsum Munificentia, Pietate atque Eruditione praestantissimum Praedecessorem habuerint. Sed Virtus tua nostro quidem elogio non indiget, quae per alios stylo, et ingenio feliciores posteritati narrata, et tradita superstes erit. Meae itaque partes fuerint me totum tibi tradere, patrocinio addicere, atque illud conari, ut si alii, in te excolendo officiis certant, me tamen, ut aequum est, eximia observantia, atque animi propensione non vincant. Florentiae secunda Martii 1682.

Illustriss. ac Reverendiss. Domino

D. AUGUSTINO FAVORITI

BENEDICTUS MENZINUS FLORENTINUS S. P. D. Romam.

Miraberis fortasse, Illustrissime Domine, quod has ad te dare literas non erubuerim homo tenuis, atque iis, per quae ad celsitudinem hanc vestram patere aditus possit, ornamentis minime instructus. Verum, si quidquid agimus finis ratio bene perspecta vel elevat, vel commendat, intelliges, opinor, quam non satis partibus meis fecissem, si

aliquod apud te, cui plurimum debere me fateor, non ingrati quidem animi monumentum extare noluissem. Explica, inquies, hoc ipsum. Quum per Italiam hanc nostram plurimae plurimorum lucubrationes vagarentur Etrusco rythmo, et numero adstrictae, argumentum scilicet de Gallicis armis arripientes, coeperunt a me exigere amici homines, ut aliquid simile emitterem, quod quum alii omnes stylo, et ingenio in servitium ruerent, nostratium animos ad libertatis studia erigeret, atque ad sanctum illud Concordiae vinculum arctius astringendum impelleret. Feci Odem obsequendi cupiditate incensus, tum in illud adnitens, ut, si ea quidem carminibus vis est, trepidantia Italorum pectora confirmarem. Feci, inquam, et emisi; et quamquam illud me praestare non posse cognosco, ut poetico hoc in pulvere ne longo quidem intervallo sequi, ne dum alios valeam antevertere; nihilominus quum elegantissimi homo ingenii Franciscus Redius mihi affirmare non dubitaverit, illud me navasse, quod tibi summae doctrinae, summaeque prudentiae viro probaretur; quanta hoc me laetitia perfuderit non facile existimes. Atque illud est, quod si silentio praeterissem, non levi me noxa obstrictum crederem, qui nec gratias agerem nec quanta inde mihi facta sit gloriae accessio dignoscerem. Legisti, inquiunt, lucubrati-

unculas nostras; pure, et publice laudasti; exscriptas apud te voluisti. Quid hoc mihi jucundius accidere, aut quid potuit fieri humanius? Quas itaque possum gratias ago; et quanquam egregia illa, quae ipse olim carmina edidisti, quaeque nunc ad alia, et sanctiora conversus de regio isthoc, ut ipsi vocant, Galliarum jure graviter sane, et acute disceptas, ea ipsa per se faciunt, ut te summopere colam, nihilominus, quod et nostra laudaveris vir tantus, et de Literaria Republica optime meritus, observantiam in te meam inde illustriorem fore credas, oro. Quam quidem tibi, Illustrissime et Reverendissime Domine non injucundam sensero, si quam honoris partem scriptionibus meis habere non dubitasti, eam ipsam in mandatis tuis capessendis promereri potuero. Vale. Florent. VII Kal. Jul. MDCLXXXII

BENEDICTO MENZINO VIRO

CLÁRISSIMO

AUGUSTINUS FAVORITUS S.

Suspectum essé non potest animi ab affectu corrupti, quod protuli de tua Ode, judicium: cum ea mihi a prestantissimi ingenii viro, et ingeniorum non minus

liberali, quam aequo, et perspicaci aestimatore Stephano Pignattello legeretur. Neque enim mihi notus erat auctor Poematis. Sed idipsum videbatur mihi mirabili carmine mirabilius; adhuc in obscuro esse nomen Scriptoris, qui Etruscam Poesim, et seculum hoc nostrum illustrare facile possit. Illud pro explorato habebam, quisquis ille esset, qui tam praeclarum carmen elaborasset, oportere ei magnam cum eximio viro, et non minore Poeta, quam Medico, et Philosopho, Francisco Redio conjunctionem, ac necessitudinem intercedere: tanta inter utrumque (vidi enim nonnulla etiam Redii) apparet vel ingenii, vel studiorum similitudo, et praeclara quaedam conspiratio animorum in revocanda prisca illa scribendi ratione pura, et solida, plena rerum, et dignitatis, quam non fucata, et meretricia, sed simplex, et matronalis forma commendat; in qua scilicet primi illi Etruscae Poeseos auctores tanta cum sua, et Italici nominis gloria floruerunt. Ubi vero redditae mihi fuere literae tuae latinae, et quidem elegantissime scriptae, primum miratus sum tantam in utroque vertendi genere facultatem, et copiam; deinde vero mihi ipsi sum gratulatus oblatam opportunitatem, meum erga te studium, et laudum tuarum percupidam voluntatem aperiendi: ut

si in aliqua re operam industriamque meam usui tibi fore cognoveris, arbitratu tuo utare, rem mihi gratissimam facturus, qui nullum percipio fructum Pontificiae erga me benignitatis ampliorem, quam occasiones eam in tui similes Viros derivandi. Utinam curae, quibus sane gravibus innumerisque distringor, meo me vivere arbitrio sinerent, qui ab ineunte aetate nihil antiquius habui, quam solitudinem minime ambitiosam, ab omni forensi, et aulico strepitu, fumoque plane alienus. Quam libenter inirem tecum commercium literarum! Sed non propterea carere vellem suavissimis tuis, ubi vel aliquem novum ingenii foetum, vel tibi inserviendi opportunitatem ad me deferas. Vale, et me in amicorum tuorum numero si habueris, magno a te honore affectum me judicabo. Romae die 4. Julii 1682.

ILLUSTRISS. D. D. STEPHANO PIGNATTELLO.

BENEDICTUS MENZINUS FLORENTINUS S. P. D.

Summae felicitatis loco pono laude digna peragere; deinde vero (ut est anti-

quum dictum, et vetus) laudari a laudato viro. Nam et hoc alterum praeclarum est, et quoddam quasi calcar habet ad novum semper aliquid excogitandum, quod non ad popularem illam, fluxam, et evanidam, sed veram, solidamque gloriam faciat. Delectavit itaque me, Illustrissime Domine, quod ingenio acutus, et perspicax, pro eo tamen, quo in studia haec nostra amore flagras ardentissimo, tenebras tibi offuderis, ad ea scilicet de me sentienda, et praedicanda quae summa nisi cum laude conjuncta esse non poterant. Profecto magnis te eloquentiae viribus praeditum esse oportet, qui haec aliis persuadere potueris, ut et Musas probarent meas, tantique facerent carmen illud crasso deductum filo, quanti elaboratum quodlibet, atque elegantissimum. Cujus rei testes habeo literas, ea mihi encomia congerentes, per quae jam aliquid mihi sapere videar, et in Apollineam istam familiam non temere ascisci. Qua quidem in re, si tecum sentit immortale illud literarum decus, et columen Augustinus Favoritus, facile alia omnia aliorum suffragia contemno; et si quid mihi novum dabitur cudere meditarive, properabit ad vos, quorum patrocinio dum in proscenium prodit, non est, quod molestissimas, et mihi, rebusque meis infensissi-

mas obtrectatorum voces reformidet. Interea Vir Illustrissime, ignosce, quaeso, audaciae meae; et si me tua in clientela esse non dedignaberis, tam mihi gratum id erit, quam quod gratissimum. Nam praeterquam quod ingenui animi est magnos sibi amicos, hoc est tui similes, comparare, illud hisce temporibus videtur apprime necessarium quum qui cum imperio sunt, literas potius odisse malint, quam fovere. Tu vero, qua ingenii, et morum suavitate praestas, me tibi, atque egregiis virtutibus tuis serio addictum benignus accipito, et Paulo Falconerio nobilissimo Viro, de quo multa, et eximia extiterunt in me amoris indicia, salutem a me plurimam. Florentiae 14. Julii MDCLXXXII.

Eminentiss. ac Reverendiss. Dom.

S. R. E. Card.

FRANCISCO NERLIO ARCHIEP. FLOR.

BENEDICTUS MENZINUS

S. P. D. Romam

Natalitia Christi Jesu solemnia dum tibi fausta precamur, Eminentissime Domine,

has ad te dare placuit observantiae primo, quam tibi plurimam debeo, deinde vero amoris quoque innotescere gestientis argumentum. Epistolae carmen adjungo, breve illud quidem, et subito calore effusum, sed sacrum et boni ominis plenum. Nam quis fausta auspicari nolit, praecipue tibi bonarum artium, et literarum amantissimo; quo in genere tanta felicitate assurgis, ut comparem habere nequeas atque alios omnes longo etiam intervallo antevertas? Quapropter spem mihi facit humanitas illa quam de te omnes depraedicant, non male casurum hoc, quidquid est, auctoris si minus docti atque ineruditi, ad te tamen praecellentem ingenio et morum sanctitate Antistitem scribere non erubescentis. Nam mirum sane quantum in me sors desaevierit. Magna enim Virorum quibus apprime diligebar, amissio, rei domesticae jactura: perditorum invidia; hi fluctus fuere, qui parum abfuit, quin studiorum meorum naviculam penitus merserint. Ego quidem citra mediocritatem de me sentio. Nihilominus, si Augustinum Favoritum quo cum crebra mihi fuerunt commercia literarum, mors invida non eripuisset; eo quidem, Eminentistime Domine, tenuitatis meae teste uti posses luculentissimo. Nam illud mihi ab ineunte aetate fuit in votis (quod quidem maximum ingenuitatis indicium est) doctorum virorum gratiam colli-

gere, collectam non effundere, sed verbo, et scripto, atque alio omni officiorum genere custodire. Tanto igitur magis institutum meum in te praestare debeo, quem supra omnes pietas, et eruditio, atque ipsa dignitas facit, ut veneremur. Vale interim, et hominibus vere eruditis favere ne desis. Florentiae Kalend. Decemb. MDCLXXXII.

BENEDICTI MENZINI FLORENTINI

E L E G I A

Ad Eminentiss. D. S. R. E. Cardinalem

FRANCISCUM NERLIUM.

Jam lux festa redit niveis invecta quadrigis,
Clarior assueto tu quoque Phoebe nites.

Scilicet aeterno famulantur Sidera Regi,
Qui trahit edomitam sub sua vincla necem.

Nascere, magne Puer, per quem reparabilis (Adae
Lapsus erit; miseris quam modo tarda (mora est!
Nascere, et aetherei jam desere limina templi,
Taedia nam pigri temporis odit Amor.

Audimur; viden, ut terram ploratibus urget,
Et tepido roseas proluit imbre genas?

Jam quae Jordanis sacro de gurgite Nymphae
Exeritis rutilas Sole stupente comas;
(rorem;
Colligite undantem, quem spargunt lumina,
Atque eat officio quaelibet aucta suo.

Quas piscatur Arabs vicino in litore conchas,
Et poterunt Solymae vincere divitias.
(phus,
Nempe his lacrymulis de te mors saeva trium-
Atque his debetur parta salus lacrymis.

Hinc bene felici volvuntur cardine secla,
Vectantur curru splendidiore dies.
(ostro,
Quos, FRANCISCE, tibi, cui Virtus clarior
Optamus nivea labier usque rota.

Scilicet ingeniis Phoebo, Musisque faventem
Te nobis longo tempore adesse juvat.

LAURENTIO ADRIANO

Viro Clarissimo

BENEDICTUS MENZINUS
S. P. D.

Audivi ex plurium Amicorum literis quantopere carmen a nobis nuper editum laudaveris: Qua quidem de re me tibi debere fateor; tibi scilicet homini eruditissimo, qui et candide judicium feras, et iisdem in studiis egregie verseris. Sed licet ipse laudaveris, multi tamen improbabunt, et multi jam improbant. Vide quaeso, quid objiciant; quod nimium antiquitatem redoleant, et oestro careant nostra carmina. Quorum alterum mihi laudi esse deberet in hac praesertim saeculi corruptela, et bonarum artium jactura; alterum autem nec ipsi satis intelligunt: Oestrum enim ponunt in quadam petulantia verborum, ac temeritate. Nos autem data opera pressiores sumus, temperati, ac mites. Nec est, quod Poetas mihi suos obtrudant: nam olores illi mihi fringultiunt. Quis enim bene sanus non intelligat, quam lutulenti, ac turbidi scateant hodie Parnassii isti fontes? Sed ea de re minus moveor, et characteres scribendi meos nunquam

non servabo, dummodo Viris doctis, idest tibi, tuique similibus, stylus quem tenemus non displiceat. Vale. Romae XV. Kalend. Martias MDCLXXXV.

Clarissimo, et Praestantissimo Viro

BENEDICTO MENZINIO

S. P. D.

LAURENTIUS ADRIANIUS.

Pene orbatus fueram jucundissimis literis tuis, Menzini Clarissime, quibus nihil animo meo suavius, nihil optatius esse potest; inciderant enim in manus cujusdam studiosi adolescentis, qui cum forte eodem cognomine, quo ego, nuncupetur, Petrique gerat nomen, resignavit, legit, ac post octo tandem dies, suspicatus ad me datas detulit, reddiditque; quare respondendi moram, non segnitiae meae, sed huic errori tribues. Primum vero gratias ago, quod non exciderim tibi tanto Viro nullius ipse nominis, ac doctrinae, duxerisque me singulari munere honestandum poematis tui per Clarissimum Redium, atque insuper literis omni humanitate, atque officio plenis ultro compel-

laris, deinde eximium tibi honorem gratulor inter intimos Augustae Christinae Reginae familiares adlecto ob eruditionis, stylique praestantiam, sive Musas Etruscas, sive Latinas consectere; atque eo magis gratulor, quod in Principe omnium Urbe par tuae Virtuti theatrum nactus, ad gloriae nunquam interiturae fastigium, fremente invidia, magnis itineribus gradiare. Allatrent quidem Zoili veterem Romanae Poesis cultum, obtrudant ineptissimas dicendi veneres, damnent inconcussam, constantemque Carminis maiestatem, produnt, non dicam inscitiam, sed insaniam suam eodem calculo superioris aevi Poëtas praestantissimos, Sannazzarios, Vidas, Pontanos, quin divinum ipsum Maronem insigni furore condemnantes; nihil moveri debemus tanta judiciorum perversitate; contemnenda insanientium procacitas, plusque uni Averanio standum, tuam Panegyrim miris laudibus extollenti, quam sexcentis aliis livore, aut amentia, aut inscitia, ad eam accusandam, ac reprehendendam adductis. Perge, Menzini Clarissime, ad immortalitatem ea qua coepisti grassari via: perge placere Augustae, et celeberrimae omnium, quotquot ullo unquam tempore fuerunt, Heroinae, et quam laudem negat inscia, vel invida obtrectatorum multitudo, cape nunc sinceram a paucis eruditis, et

ingentem a grata, doctaque spera posteritate. Salve ab illustrissimo Redio nostro, plurimum quoque a Clarissimis Viris Averanio, et Papio. P. Rossio velim meis verbis plurimam salutem impertiare. Vale mei non immemor. Pisis III. Nonas Martii MDCLXXXV.

Ad Eminentiss. et Reverendiss. Principem

DECIUM AZOLINUM

S. R. E. CARDIN.

Epistola Nuncupatoria.

Consueverunt praeclari in Republica Literaria Viri Heroas sibi deligere, in quibus celebrandis tum verbo, tum scripto eloquentiam testarentur suam, atque eximii nominis usuram, quam maxime diuturnam efficerent. Inde enim fore credebant, ut quantum fortasse per invidos, ac malevolos de ingenii illorum felicitate detrahi poterat; tantumdem de argumenti magnitudine, atque de eorum quos laudandos susceperant, praestantia, ac dignitate restitueretur. Quae quidem ego perpendens, Eminentissime Princeps, tanto impensius mihi seligendum existimavi, cujus ope ipse subcresce-

rem, et qui me quasi deficientem viribus allevaret, quanto ego longius absum ab eo, quem eximium ac praecelsum eruditionis, et doctrinae verticem veteres attigere. Itaque, ut in proverbio est, ego quoque cum Minerva manum admovens, CHRISTINAE Panegyrim scripsi, quam non tantum in lucem dare non dubito, sed etiam audacter obtrudo. Quae enim hic laudes recensentur, sunt veluti gemmae, quas nativus quidem splendor, non autem fictitius, aut ementitus illustrat. Sed quum non raro accidere soleat, ut claram famam alius quidem habeat, alius mercatur; vera CHRISTINAE virtus ac solida, lapis erit Lydius, quo purissimum aurum facile possit ab adulterino internosci. Sic illud videbor assequutus, ut stet Scriptori sua fides, quae de celeberrimae Heroinae fulgoribus exornata ab oblivionis tenebris, quae multos veluti inglorios obruent, jure ac merito vindicabitur. Tibi autem, Eminentissime Princeps, Poesim hanc nostram dicatam volo: optimus enim testis es, quam non a vero, licet Panegyricum Scriptorem in Carmine agam, ipse discesserim. Ingenio praeterea maximo, et futura quodammodo mentis claritate pertingens probe intelligis, quod de CHRISTINA, Orbis scilicet prodigio, et praesentis aevi Phoenice quidquid scripsimus, quidquid mirati sumus, ut ait Politicus ille vere Romanus,

immortalitati commendatum, et traditum superstes erit. Vale interim, Eminentissime Domine, et ut forti pectore pro Ecclesia Dei in hostes ire non dubitas, invidiae monstra contemnis, et nil, nisi Virtutem ipsam, praemii loco tibi propositum habes, sic bonis artibus, ut quidem facis, studiisque omnibus favere ne desine. Romae XIV. Kal. Decemb. MDCLXXXV.

Studiosissimo Juveni

ANTONIO MARIAE FONTANO

BENEDICTUS MENZINIUS

S. P. D.

Dixeram Pescetto in literis, me adeo occupationibus praepediri, ut vix mihi ad amicos me officiose interpellantes, respondendi commoditas quamvis angusta sufficiat. Nihilominus ut hinc quoque amorem erga te meum colligere possis, ad ea, quae proponis, paucis accipe. Magistri tantum praelucent: quapropter oportet, ut discipuli praemonstratum iter, labori nequaquam parcentes, sed toto incumbentes pectore, ingrediantur. Si praeceptor, cui vos erudiendos tradidi, in aliquo vobis

videtur deficere, ipsi per vos, quae praetermiserit, restituite; Ciceroni operam dantes, versiones, commentaria, scholiastes prae manibus assidue habentes: nam, ut vera dicam, vocales isti Magistri omnia non possunt; atque inurbanum prorsus esset omnia ab illis expectare. Homines sumus, et ut homines persaepe oneri cedimus. Haec idcirco ad te dicta volo, ut libere me loqui scias iis praecipue in rebus quae tibi profutura existimem. Vale, et Pescetto salutem ex me dicito, et ne doleat me ad illum latine non respondere, intra paucos dies latinas quoque ad illum literas dabo. Romae. Prid. Kal. Januar. MDCLXXXV.

CHRISTINAE REGINAE

BENEDICTUS MENZINUS F.

Magnus ille Orientis domitor eximiam sane laudem Graecis, Latinisque Scriptoribus celebratam, robore corporis, et bellorum, quibus egregie pollebat, artibus est assecutus. Hinc est, quod si qui sunt vel nostris hisce temporibus infractae fortitudinis viri, eos ut posteritati commendemus, vel Macedoni assimiles facimus, vel iis, quibus insigniebatur, appellationibus adnotamus. Adeo nos veterum He-

rorum, non tantum praeclara facinora sed etiam nomina ipsa delectant. Verum ille ipse, de quo loquimur, Alexander, non satis sibi esse putans de bellicis rebus laureolam reportare, et alteram quoque adjecit, capitique suo innexuit de Musarum viridario amoenissimo decerptam. Nam post armorum labores assiduos, in quos toto animi impetu ferebatur, Homeri quoque Poetarum maximi lectioni operam dabat, eaque quûm mirum in modum afficeretur, Heroas, quos Poeta suis in carminibus ad exemplar proponit, tantus Heros virtutibus aemulabatur. Duplex itaque in Pellaeo Juvene gloriae sidus affulget, alterum ab armis, ab literis alterum. Quae quum sit indoles plane tua, CHRISTINA Augusta, non tantum per utrasque artes Macedonem ipsum aequiparas, sed longe etiam antecellis. Nam multos licet ille vicerit, seipsum quandoque non vicit: nimia scilicet regnandi cupiditate detentus. Tu et multos alios, et te ipsam quoque vicisti; cuius proprium fuit Regna magis dare, quam accipere. Quod autem ad literas attinet, nostro id quidem praeconio non indiget, quum nedum Italiae huic nostrae bonarum artium altrici, sed toti etiam Orbi Pallas altera illuxeris. Decora itaque ingenia praesens aetas non desiderabit, quae tuo afflata numine, suffulta praesidio

per omnia scriptionum genera testari potuerunt quale, ac quantum de te coeperint incrementum. Nos quidem multi dilaudant; sed hoc satis esse qui potest? Tu vero, CHRISTINA, non solum laudas, sed etiam foves; et non marmoreum, aut aereum, sed vivum, ac spirans simulacrum oculos intendis, ut nostra suspicias, manum admoves, ut substentes. Cujus quidem rei testis ego luculentissimus, cui nuper tuos inter familiares adlecto (quod grande extitit Regiae liberalitatis indicium) et eximias Virtutes tuas contigit admirari, et tutelare Numen agnoscere. Ingenue fateor, quum grandia ista mihi aspicerem congesta beneficia, incaluisse me, atque animo jampridem agitasse, ut novum aliquid cuderem, quod Regio nomini tuo dicatum, ocii istius, quo per te fruimur, rationem aliquam redderet, et propensam utique voluntatem, quum ingenii vires minus possint, ostenderet. In dies equidem aliquid semper excogitabo, quod magis assurgat. Tuae enim Benignitatis aura, quum plurimum possit, illud quoque efficiet, ut plurimum prosit. Interea Opuscula haec varia tuae sistimus Majestati; quae si tibi, quae una Musis omnibus praestas, non displicuisse intellexero, praeclare mecum actum existimabo. Nemini enim fore ut minus placeat credendum est, quod semel CHRISTINAE ma-

ximo, prudentissimoque judicio comprobatur. Romae.——

FRANCISCO GREGORIO PIO
DEL TEGLIA
BENEDICTUS MENZINUS S. D.

Diutius ad me scribere distulisti; sed et expectationem vicisti meam dum epistolam video eloquentiae, et elegantiarum refertissimam. Te quidem in dies proficere gaudeo: Politianum tamen te legere malim, acrem illum quidem, et robustum; assidua enim illius Auctoris lectione efficies, ne stylus tuus flaccescat. Carmen nostrum magnis Viris egregie probatum iterum typis dare cogito. Alteram itaque editionem propediem expecta. Interea amantissimo Patri tuo salutem ex me plurimam, cui in memoriam redigas velim, me, eo curante, pecuniolam illam expectare, quam nondum video. Vale Romae 13 Jan. MDCLXXXVI.

Studiosissimo Adolescenti

FRANCISCO GREGORIO PIO

DEL TEGLIA

BENEDICTUS MENZINUS

S. P.

Quod erat in calce epistolarum tuarum, illud mihi molestissimum fuit, praeceptorem scilicet vestrum anteactis diebus non valde prospera usum valetudine. Sed quem collegi dolorem, absterxit illico ex te percepisse, illum mox confirmatum, atque illi nunc perbelle esse. Meis ergo verbis salutem eruditissimo. Viro quam officiosissimam dicito. Video te proficere in scribendo, et quotidie magis assurgere; qua quidem de re vehementer gaudeo. Nam quispiam potest celeberrimus haberi hac sola ingenii dote, si bene, et latine scribat: quid si eruditionem addat, ac doctrinam? Labori itaque ne parcito: ita non tantum alteri alterum adjunges, sed et alia omnia facile possidebis. Vale. Romae die Sabbati Majoris Hebd. MDCLXXXVI.

ANTONIO MARIAE FONTANO SUO

BENEDICTUS MENZINUS

S. P. D,

Brevis quidem nostra responsio, sed prolixissimus amor in te meus. Illa facit, ut intelligas me negociorum multitudine praepeditum, hic veram amicitiam deficere nunquam posse. Quum tempus erit, nostra videbis, quae ad diem parantur. Sed nec celeritate opus est, nec legendis nostris magna aliis fiet eruditionis accessio. Novi enim tenuitatem meam. Tu, et Pescettus bene valete. Romae III. Nonas Augusti MDCLXXXVI.

LAURENTIUS ADRIANIUS

BENEDICTO MENZINIO

Clariss. atque Eruditiss. Viro.

S. P. D.

Pudet, Clarissime Menzini, tibi acerrimi judicii Viro, et in re Poetica adeo versato cum Latina, tum Etrusca, ut antiquos,

et eos praestantissimos, provoces auctores. Carmen offerre tenue, infelix, et nulla par ratione argumenti nobilitati, in quo multi feliciter quidem desudarunt, sed tu numerorum voluptate, rerum copia, sententiarum gravitate palmam omnibus praeripuisti. Verum audaciam fecit mihi cognita humanitas tua, quae nugarum mearum inanitatem aliquid esse alias putavit, neque penitus contempsit. Impulit etiam Averanus noster, cujus auctoritati plurimum tribuo, ut ad te mitterem, confirmans fore tibi non injucundam. Utcúmque se res habeat: ignosces si molestus accessero, si obtulero quod non arrideat, si tua studia, tuas eruditas occupationes importunus interpellaro; accipiesque qualecumque est, quod misi, initiae inter nos amicitiae tesseram, benevolentae observantiaeque testimonium, qua te in perpetuum prosequar. Vale, Clarissime Menzini, meque singularis tuae Virtutis studiosissimum dilige; Averanius officiosissimam dicit salutem. Pisis pridie Nonas Decembris MDCLXXXVI.

LAURENTIO ADRIANIO

Viro Clarissimo

BENEDICTUS MENZINUS

S. P. D.

Habes quod in diarium referas. Tanta vis imbrium effusa est, ut praealtis quibus praecipue quum Romam intrat ripis continetur, Tybris excesserit, magno tum Urbis, tum agrorum detrimento. Ad tres dies hac peste laboratum est; deinde paulatim fluvius detumuit, redditaque est solo sua facies, quum nondum satis, quod attulerat, damnum innotesceret. Ecce tibi, quum pontem illum celeberrimum, qui Adriani molem iungit quasi per ocium frequentamus, plures tum supra, tum infra pontem inspectantibus nobis aedes ab utraque ripa repente collapsae. Crebris scilicet diverberata fluctibus fundamenta quum laxari coepissent, onus superimpositum sustinere non poterant. Murus quoque validissimus ad arcis latus irruenti aquarum appulsu dejectus est; et alia quoque, quae firmissima credebamus munimenta, rimas agunt, excidiumque portendunt. Dicitur haec vati-

cinio quodam denunciata calamitas. Sed quum nihil credere pervicaciae sit, illud quidem credere, quod ab Ariolis pendet, summae semper levitatis existimavi. Genius tamen hic loci est, et de veteri illo fermento quaedam, ut ita dixerim, despumans superstitio. Sed suum istis morem relinquo, et ad epistolam tuam venio, quam non intercidisse, aut sero ad nos non pervenisse mirum certe est, abruptis aquarum eluvie itineribus. Qua quidem de re egregie laetor; ita enim et literis tuis non carui, quibus mihi nihil jucundius, et Poematium vidi, quo nihil elegantius esse potest. Nam quid nisi jucundum, et elegans expectari debet ab eo, qui et suavissimis ipse moribus est, et diutino bonarum artium exercitamento illud est assequutus, ut claros inter Scriptores jure valeat recenseri. Non est itaque, quod te pudeat, mi Laurenti, ejusmodi me crebro cohonestare muneribus; nam secus faciendo utrique nostrum injurius esses; tibi qui de praecellenti ingenio tuo remisse nimis, imo potius inique sentires; mihi, qui de opusculorum tuorum carentia uberrimo quidem fructu defraudarer. Jam quid dubitas in medium ferre, quod Averanio vestro priscae, ac solidae eruditionis, ac doctrinae viro comprobatur? Quod de Isocrate, ni fallor, cui satis, si Orationes illius uni, aut alteri laudato Viro laudaren-

tur, idem de Averanio dici potest. Quare ergo mihi non arrideat, quod magnis commendatur ingeniis? Mitte itaque, et quam saepissime quum quid novum cudis, ita et tibi laudem, mihi voluptatem, doctorum hominum judiciis, optima scilicet approbantibus, novam quamdam aestimationem comparabis. Vale, et Averanio, Bellinioque amantissimis meis salutem a me plurimam. Romae V. Idus Novemb. MDCLXXXVI.

LAZARO BENEDICTO MIGLIORUCCIO SUO BENEDICTUS MENZINUS S. P. D.

Est quod rideam in literis tuis, quod me quasi Dominicanae, aut Franciscanae Familiae hominum, in fronte epistolae, et putido sane titulo Admodum Reverendum appellas. Jam quid est in me, quod revereri didiceris? Num mores istos meos vultuoso quolibet Catone dignissimos? Pape! Beasti me hac animi tui significatione, quod tanti apud te sim, ut non observantiam tantum, sed et alienam quoque reverentiam valeam promereri. Num eruditionem

non mucosam illam quidem, et vulgarem, sed emunctam, et de secretiori quodam penu depromptam? Ohe! Jam scrinia omnia, atque arculas scrutor meas. Quot tibi floridulae dictiunculae, pigmentatae voculae, scitulae sententiae! Hoc quidem certe non assequuntur omnes hoc praesertim seculo, in quo literae prorsus jacent. Viden jocari me, et prorsus contraria sentire? Nam dictio tua in scribendis epistolis et jucunda est, et mihi satis probata; nec dubito quin ad majora quoque evehi possis, si egregios illos, de quibus saepe locuti sumus auctores in exemplum adhibere volueris. Nam re vera in nostris et laboris non parum est, et ineptiarum plurimum. Crucem illi quidem figunt sibi, et refigunt; sed quid? Purum illum, et genuinum in scribendo candorem minime assequuntur. Tu extra hanc sortem. Frater tuus auctor mihi fuit, ut ad te stylo extemporario scriberem, quod eo praesente facio; dum interim hoc tibi coelitus voveo, ita in juventute laetari, ut in senectute non poeniteat. Vale 18 Nov. MDCLXXXVII.

Clarissimo Viro

ALEXANDRO MARCHETTI

BENEDICTUS MENZINI

S. P. D. Pisas.

Non possum non egregie probare id, quod consilii coepisti de Poemate contexendo, quod Philosophiae dogmata, ea scilicet, quae tibi sanctiora videantur, de proprio penu depromptis rationibus confirmata, enucleata, expensa, luculentius demonstrata complectatur. Tam me Deus adjuvet quam ego Opus istud enixe videre desidero, quod erit de te idest de magno Philosopho, magnum, imo maximum, cum nulli Philosophorum magis, quam tibi addictus, alios omnes, quae tua est ingenii, ac doctrinae vis, longo postliminio superabis. Ominari jam libet. Mira est in verbis elegantia, mira concinnitas, nec lucidus, ut inquit ille, ordo deerit, et iis, qui non a Schola, et Lyceo prorsus alieni, obvia rerum intelligentia. Quod quidem per te confici posse egregia illa tua, ac nunquam satis laudata Lucretii versio satis ostendit. Mitte igitur agm entum, quod polliceris:

erit enim deprehendere vel in articulo Colosseam magnitudinem. Librum vero meum, meum dico, quem abs te dono missum, et per Lapium, ut inquis, Nardio traditum, qui ad me perferendum curaret, nondum vidi, sed promissis homines alligatos spero integra fide omnia praestituros. Verum abrupta itinerum, et ingêntes pluviae, ni fallor, morae hujus in caussa. Interea utrique vestrum, tibi scilicet, atque ad gloriam forti pede grassanti filio tuo gratias agimus, quando pari volumine, idest ejusdem indolis, ac disciplinae referre non possumus. Lectissimae virginis Borghiniae Tetradecastica accepi, perlegi saepius, probavi semper, nec mihi visa sunt aphilosopha. O virginem Musarum Choro dignissimam! Jam si in haec tempora inciderent, haberent quam Fideli Politianus, Cassandrae Bembus compararent. Vera sunt quae praedico; nam quam ab assentationis crimine abhorream, et mihi scripta quondam et quae, si vita suppetat, scripturus sum, nec dissimularunt olim, nec tacebunt in posterum. Laurentium Bellinium, et Adrianium una tecum valere jubeo. Romae 5. Januar. 1689.

Eminentissimo, et Reverendiss. Principi

JOANNI FRANCISCO ALBANO

S. R. E. CARDINALI.

Epistola Dedicatoria.

Quum Innocentio XII. Pontifici Maximo literarum, studiosorumque omnium amantissimo per te, Albane Cardinalis amplissime, innotescere potuerim, quanto tibi devincar beneficio, cuperem certe, et posteritati traditum, et praesentibus non ignotum. Sed qui fieri possit, ut scripta nostra perdurent plane non video; quum an styli candor, an venustas, et apta rerum copia, ac dispositio suppetat, dubius adhuc animi pendeam. Nam non satis est me probari mihi, nisi et me aliis quoque probaverim, claris scilicet ingenio, et eruditione Viris, qui quae me fortasse latent, acri judicio, et firmissimo mentis acumine attingunt. Adde quod operosa volumina cuduntur a multis, et obtruduntur; et si quid illis vel eloquentiae deest, vel nitoris, tenuitatem suam mole redimunt. Quanquam et illud culpari audio, quod magnus Liber magnum quandoque sit malum, Nostra ve-

ro exigua sunt, et quae nil aliud secum afferant, nisi mentem bonam; cujus ego faciem extimis hisce notis insignem tibi sisto, Albane Eminentissime; nil dubitans, quod me, et mea, qua soles benignitate, quodque ego obnixe a te peto, sis utique prosequuturus. Sunt et alia quoque, quae me ad haec evulganda, olim quidem sparsa, nunc autem in unum collecta, et cuidam veluti coronae inserta, tuoque dicata Nomini plane adhortentur; ut scilicet ocii istius literarii, quo tuo Patrocinio, et Sanctissimi Pontificis Innocentii liberalitate perfruimur, ratio aliqua constet, laboribus meis, et grati animi testimonio comprobata. Hoc unum certe laudabile: et quanquam ad popularem auram captandam statutum mihi sit nihil penitus agere, hanc unam ego laudem non reiicio. Tu vero, Eminentissime Princeps, non munus istud exiguum, non fortunas meas ad humilitatem inclinantes, sed animum tibi serio addictum, et propensam ad honestissima officia voluntatem introspicies. Quod quidem de te sperare fas est cujus egregia Benignitas adeo animis nostris insedit, ut uno omnium ore dicaris grande literarum decus atque praesidium. Tua, inquam, Benignitas ingenuis hominibus ubique juvandis intenta, alit artes, mentes excitat, et ingenii flores, qui

duro, atque inclementi solo erumpere nequeunt, radianti luce ad animam revocat odoratam. Pleno itaque sinu illam excipimus studiis hisce nostris, quae per te mirum in modum reficiuntur, ac reflorescunt, vires utique daturam, et incrementum. Romae A. S. MDCXCVII.

PONTIFICI OPTIMO

MAXIMO

CLEMENTI XI.

Epistola Dedicatoria.

Orationem hanc, quae de argumenti magnitudine vires sibi comparat, et ornamentum, venerabundus, et supplex tibi inscribo, CLEMENS Pontifex Maxime. Quod plane volens lubensque facio, quum ea, quae in LEONE suspeximus, et admirati sumus, in te quoque et Virtutum similitudine, et Sacrosanctae, quam sustines, Dignitatis splendore confluant universa. Viros autem egregie doctos, et vere eruditos quum LEO non dilexerit modo, sed amaverit etiam eximie, hoc sane te illi facit quam simillimum, quod eos ipsos fovere, et amplexari, regi

animi esse, summumque apprime decere Sacrorum Antistitem arbitreris. Mihi vero qui cum antiquioribus, et ingenio praecellentibus minime sim conferendus, hoc unum saltem intercedit commune cum illis, quod ad nostra haec studia liberalius, atque commodius exercenda, firmissimo CLEMENTIS XI. praesidio non caruerim. Quod licet scripto testemur, majus tamen est, quod corde gerimus erga te, CLEMENS Optime, non temporariis commissum literis, sed perpetuum et nunquam intermoriturum obsequentis animi monumentum. Romae MDCCI.

Eminentiss. et Reverendiss.

Principi

JOANNI BAPTISTAE CARDINALI

SPINULAE

Epistola Dedicatoria.

Quae nuper in celeberrimo conventu verba fecimus, futurum profecto arbitror, ut Viri in asserenda virtute constantissimi privatos etiam intra parietes libentius recolant, et attentius. Typographicis ergo

demandata monimentis rursum exhibeò, non quidem ad popularem auram captandam, sed ut magis ac magis innotescat, non dicentis modo vocem, quae fluxa est, et evanida, verum etiam totum animi mei sensum firmum scilicet, et inconcussum ab iis, quae stylo sum persequutus, minime discrepare. Quae quidem scriptio cui sanctius, ac justius debeatur, quam tibi, Cardinalis Amplissime, qui et ipse erga bonas artes generoso semper animo esse adeo consueveris, ut CLEMENTIS XI. Pontificis vere Maximi, nutibus obsequens, Romanum, cui praees, Lycaeum per omnia benignitatis òfficia prosequaris, atque in illud obnixe incumbas, ut politioribus literis, atque humanissimis disciplinis suum decus incolume diu, firmumque servetur? Horum itaque lux beneficiorum et quidem operosa reficit ingenia, et ad aliquid semper depromendum suaviter excitat, et impellit. Quapropter quae amplissimo Nomini tuo nuncupare decrevi, Eminentissime Princeps, non ego quidem mea dixerim, sed tua: nam veluti terrae commissa semina, dum in flores erumpunt, et fructus, novum quidpiam, et suum non illa sane congenerant; sed de benignioris naturae munere acceptum restituunt. Romae MDCCI.

BENEDICTI MENZINI
CARMINA.

DE

INFELICITATE

TERRENI AMORIS

Ad Illustriss. Equitem, et Virum Eruditissimum

FRANCISCUM MARIAM NALDINUM.

Saeve puer quem cuncta timent fera bella moventem,
Torquentem tenera fortia tela manu;

Et qui fluctivago regnantem Nerea ponto,
Diceris, et superos sollicitare Deos;

Cujus et imperium sensit quoque tertius heres,
Pallida Taenariis qui juga flectit equis;

Improbe carminibus jam divexabere nostris,
Dum facit alternum docta Thalia pedem.

Ipse dolos fraudesque tuas ulciscar oportet;
Oh veniam laeso det mihi quisquis amat.

Nam, memini, quondam fallacia vincla subivi,
Et dedimus victas in tua jura manus.

Vestra Dii pietas; duros confringere nexus,
Et potui celerem corripuisse fugam.

Quis neget ergo mihi, pleno velut agmine (in hostem
Prodire, et vires exeruisse meas?

Ibimus, et nostrae fuerit nova gloria dextrae,
Quod magnis ausis non facit illa moras.

Interea, NALDINE, suos natura recessus,
Cui dedit arcana noscere posse fide;

Si vacat, haec olim properata libentius audi,
Et juvet Ascraeis incubuisse choris.

Ocia, Deliciaeque, et Massica dona Lyaei,
Idalio vires illa dedere Deo.

Illa Cupidineis acuerunt spicula telis,
Admorunt saevas et magis illa faces.

Urimur hinc miseri, per vulnera mille vene- (num
Ducimus, et mentem sauciat inde furor.

(astra ;
Hinc crebro Superos, hinc lamentamur et
Astra quidem nostris non operata malis.
(hostis ;
Ah querimur frustra, quod nos devicerit
Hostibus ut vincant scilicet arma damus.
(Heros,
Namque ubi Thessalicis erravit montibus
Quo sua Phylliridae gloria parta seni;

Non illum potuit fallax mulcere voluptas,
Cumque sua in juvenem Cypride fusus
(Amor.
Firmabat duro crescentia membra labore,
Et decor est membris additus inde novus.

Quin et formosas fertur sprevisse puellas
Implicitus studiis, casta Diana, tuis.
(apros,
Maenala perlustrans saevos modo proruit
Aut timidos lyncas irrequietus agit.
(cingit,
Aut nemora, et silvas umbrosa indagine
Aut celer Aemonio tesqua fatigat equo.

Saepe etiam Oebalio vel diffidit aera disco,
Vel jaculo fines praeteriisse juvat.

Vel celebrata illi fumosa Palilia saltu,
Vel victa est volucri turba petulca pede.

Talibus illusae periere sub artibus artes;
Et sua promeritae praemia laudis habet.

Victrices juvere illi per tempora lauri,
Nullaque de tanto palma relata viro.
(tram,
Idalis imbellem dicta est damnasse phare-
Et fregisse dolens spicula turpis Amor.

(usus,
Nunc cibus, et vini nos largior obruit
Statque coronatus nocte, dieque calix.

Sirius exhorrens algentis frigora brumae
Te videt alpinam ferre Lyaee nivem.
(escis,
Jamque peregrinis pretium quoque fecimus
Quas vehit Eoo picta carina mari:

Amplius haud nostris ignota Peruvia mensis,
Et jam, quod placeat terra Sinensis habet.

Vix dubiae auspicium famae si fecerit aura,
Ad se pentigradas advocat illa rates.

Protinus Ausonio deducitur anchora portu,
Concipiuntque leves candida vela Notos.

Oh illa horribili deflagret fulmine puppis,
Praeda sit undisonis ludicra verticibus.

Illidatque vadis atque aggere cincta profundo
Torpeat, et caecis haereat in scopulis.

Illa et Tyndareos splendentia sydera, fratres,
Nec queat Arctoi cernere signa poli;

Quae trahit extremo damnosas litore merces,
Oh nimium nostris officiosa malis.

Jam sat erat sedare famem vel ab Ilice nigra,
Jam sat erat miseram fonte levare sitim.

Deliciae fuerant, si presso rustica lacte,
Et foret Hyblaeo mensa onerata favo.

Arbuteos foetus, pendentia mora vepretis
Praebebat casto Nais amata viro.
(Indis,
Cinnama odoratis sed nunc vectantur ab
De frutice et juglans carpitur Assyrio.

Inde sibi vires reparant Amathuntia tela,
Altius et misero fixa manent jecore.
(villae
Stulte quid obstupeas, dum nutrimenta fa-
Subdis, in ardorem proxima cuncta rapi?

Aetnaeo jam nulla foret de vertice flamma,
Pabula si flammis deneget Aetna suis.

Jam leges, natura, tuas dum culpat amator,
Projicit in sanctos non bona verba Deos.

Hi facile in teneros formarunt pectus amores,
Et prona in labem corpora nostra suam.

Nec mihi de solido conflarunt aere medullas,
Aspera nec gelido stat mihi corde silex.

Aspice quae fuerit formae vis; inclitus auro,
Et Salomon trabea cinctus amore perit.

Huc perit igne pater, steterat cui celsa Sionis
Regia Jessaeis nobilitata viris.

Et nos Hyrcanae non pressimus ubera Ty-
(gris:
Flectimur, et duro cedimus imperio.

Haec ais, ah demens qui noctu pervigil adstas,
Sub tristi ducens tempora dura Iove.

Nec glacialis hyems, nec te nimbosus Orion
Terret et Aeolia flamina missa domo?

Ah quoties primus crocea Pallantidos ignis
Te vidit duras ante jacere fores.

Et formidatis longum perstare sub armis,
Et ferre invisae taedia pigra morae.

Dixisti quoties: Rerum spes una mearum
Cynthia languenti, quam precor, affer
opem.
Affer opem misero, viden ut mala frigora
(laedant
Corpus; at ipsa tremens effugit ore anima?

Illa tuos questus, et carmen inutile risit;
Risit et effusas supplice ab ore preces.
(stris
Haec tolerare potes, vel si pluvialibus au-
Decidat adverso foeda procella polo.

Nec tibi subsultant trepida formidine fibrae,
Si quando obliquus Jupiter intonuit?

Ferre potes miseros discrimina saeva labores;
Et quereris vires non satis esse tibi?

Fortis et in vitium, tenui praecordia cera,
Atque ais e fragili corpora ducta luto?
(dex,
Quam male de proprio censebis crimine ju-
Qui tibi sic, vitio vel renuente, faves?

Sed leviora puta, quae diximus: accipe
Fecerit in voces protinus ire meas.(quod te

Ipse ego plorantem vidi per compita matrem
Laedentem tremulas ungue furente genas.

Illa et femineo complebat cuncta tumultu,
Qualis in Aemonium Thyas adacta jugum.

Aut quale Heliades puerum Phaetonta so-
Clamarunt ripis nobilis Eridani. (rores

Nec deerat canis injuria saeva capillis,
Et scissa indicium palla doloris erat.

Moesta exundantem fundebant lumina rorem;
Tundebant miserae pectora nuda manus.

Quis neget hoc matri? dulcem per vulnera
Audiit immiti procubuisse nece. (natum

Ille quidem tota jacuit spectabilis urbe,
Plauxit et invisam sanguinolentus humum.

Quam visu horribile! stupidi simul oris hia-
Et simul exangui lumina plena metu.(tus

Et demissa silet frons, et riget horrida cervix,
Nil non funestum turpe cadaver habet.

Vilia suffuso maduerunt membra cruore,
Oblita et immundo est pulvere caesaries.

Quaerenti caussam quidam mihi talia reddit;
Occidit hic spurcae captus amore lupae.

Ecce vides illi non moestum praefica dicit
   Carmen, et extremum non pia turba vale.

Non illi cognata manus vaga lumina condit,
   Membra nec hexaphoro nobiliore locat.

Ordine non longo lictores funeris atri
   Stant illi; versas nec tenuere faces.

Hoc habet exemplum qui vim non novit Amo-
   Monstrato valeat liber ut esse malo.(ris,
(rum
Nam dum conveniunt temeraria turba proco-
   Concupit et noctem quilibet esse suam;

Hinc rixae primum, mox jurgia; denique ferro
   Saeviit intentans vulnera caeca manus.

Praelia purpureo Thaumantias igne diremit,
   Diffugere alii protinus, ille jacet.
(pido,
Ille jacet, tua qui sequitur dum castra Cu-
   Hoc sibi non nota miles ab arte tulit.

Finge quod exitii sperare pericula tanti
   Te vetet in crimen mitior ira Dei.

Quis poterit fando morbos nunc ire per omnes
   Qui nova lethaeae semina fraudis habent

Congeriem citius numerabo, sidera, vestram,
Lactea queis coelo semita cuncta nitet.

Aut quae diversis vastum per inane figuris
Corpora volvuntur, dinumerem citius.

Dinumerem citius Sigeja ad litora fluctus,
Quos agit ex imis unda refusa vadis;
(damna,
Quam quae proveniant petulanti e Cypride
Sint licet externis saepe adoperta bonis.

Mille, miser, poteris vitae subiisse pericla,
Mille tibi Veneris damna parabit opus.
(cerebro
Syphilis, et Podagra est, Paralysis, Rheuma,
Illapsus membris qui fluit humor iners.

Tunc non Asclepj, totaeque Machaonis artes
Profuerint, Coi non monumenta senis;
(tam,
Non quem clara dedit magnum Verona Poe-
Qui medica serpens corrigit arte malum;

Et quem laurigeris cingentem tempora sertis
Vel tibi non renuas, docte Catulle, parem.

Plurima formosae fient tunc vota Saluti,
Sed fuerit votis non reditura salus.

Aeger erat simili tactus serpigine morbi,
Constituitque bonis ponere thura Deis.

Audierat Phoebum turbae praeesse medenti;
Atque ipsum artifices saepe adhibere ma-
(nus.
Allevet ut morbum patrios liquisse penates;
Ardet et hinc molles pergere ad Jonios.

Jam supplex aris sacros imponit honores,
Jam latices libat, fundit et ore preces.

Phoebe pater, sancto lustras qui lumine terras
Quo sua sunt claris munia sideribus;

Quo sine non ullis vis ignea rebus inesset,
Non lux concreto purior igne foret.
(lucres,
Qui genus humanum, pecudes, pictasque vo-
Cunctaque camporum germina Phoebe fo-
(ves;
Qui reparas vires, laxos qui comprimis artus,
Diceris et Stygium fallere saepe senem;

Et quem gramineis succis voluere potentem,
Pharmaca qui nostris diluis apta malis.
(tabo
Aspice me, quem languor habet, cui corpora
Infecit pellax, et malesuada Venus.

Quod si, dive, preces dura minus abiicis aure,
Aureus in sacro conspiciere tholo,

Risit, et arcanae prospector mentis Apollo,
Frustra, ait, ah demens, numina sollicitas.

Si, quicquid morbi Phoebea demitur arte,
Crimine te rursum restituisse juvat.

Et verum dixit; quis enim non vera loquutum
Credat, et a falso semper abesse Deos!

Haec modo si teneas qui tristia pocula Circes,
Sic bibis, ut gelidas Cervus anhelus aquas;
(tum
Jam tibi quae vatum sunt argumenta canen-
Ridendi haud fuerint fabula plena joci.

Graecia carminibus visa est lusisse, sed intus
Quod valeat mentem flectere carmen habet.
(res
Carmen habet, dulci possis quo nectare mo-
Spargere, siderea vir statuende domo.
(lorum
Carmen habet, quanto cumuletur fasce ma-
Credula quae in vitium turba proterva ruit.

(aedem,
Olim quum Podagra gratam sibi quaereret
Erravit multis irrequieta locis.

Scilicet in rebus durum est angustia telum,
Ingeniumque artes cogit inire novas.

Camporum glebosa petens et florea rura,
Aspexit luteae culmina parva casae.

Ambigit, et dubio figens vestigia gresso,(dem.
Nunc pavidum profert, nunc revocatque pe-
(tentat,
Quid faciat? Dolor hanc urget, requiescere
Sed piget in nuda ponere corpus humo.

Angusti subeamus, ait, data limina tecti;
Nam minor est vulgus delituisse pudor.

Vix ingressa videt duri instrumenta laboris,
Armaque non ullo squallida facta situ.
(falces,
Tribulaque et trabeas, pando et curvamine
Et pendere suis splendida aratra jugis.

Ut vidit, diris atrocibus exsecratur
Ipsa locum, et voti vix meminisse velit.
(bem,
Jam remeare cupit, longe quam liquerat, ur-
Atque vicem sortis rursus adire novam.

Nec spes vana fuit; qua pars est clarior urbis,
Prospicit excelsae tecta superba domus.

Stant ibi Mygdonio dissecti marmore postes,
Et toribus limen perstrepit aerisonis.

Sidonioque rubent satiata aulaea cruore,
Totaque barbarica regia splendet ope.

Accessit, magnosque lares dum sedula lustrat
Jam sua persensit gaudia pectus iners.

Protinus haec secum: Hic demum consistere fas est;
Aptior in tota non erit Urbe locus.

Protrahere in multam fas hic convivia noctem
Ducere et annoso pocula plena mero.

Hic mihi formosas dabitur spectare puellas,
Et puer a Nilo porriget ipse scyphum.

Hic ego praedulci longum satiabor amore,
Ebria me circum stabit amica cohors.

Et mihi blanditias faciet; dabit oscula labris,
Oscula queis omnem demat amaritiem.

Nec deerunt molles oblectamenta choraulae,
Cynthia nec blandam pellere docta chelym.

Sic ait; at postquam cepit marcescere luxu,
Saevior in nervos ingruit atra lues.

Jam nova nodosi geminantur vincula morbi;
Jam nequit ingrato crura levare toro.

Imo in vase sedet sero gustandus amaror,
Nectareus quamvis sparserit ora latex.

Diffugere levi fallacia gaudia penna;
Ex illis reliquum nil, nisi quod doleat.

Pocula nemo bibit, quae scit nocitura palato;
Haec tamen innumeri vel nocitura bibunt.

Praetereo plures primaevo in flore juventae,
Queis erat ore nitor, purpureumque decus.

Amisere suae donum peramabile formae;
Obsedit roseas tabida crusta genas.

Pallidus et miseris confecit corpora marcor,
Corpora decidua candidiora nive.

Non illi annosae limen tetigere senectae,
Nec Pylii nôrunt qui foret oris honos,

Imo illos vidi crudeli morte peremptos
Vilia praepropero tradere membra rogo.

Saepius ah genitor dum natis oscula libat;
Este, ait, afflictae spes rediviva domus.

Crescite, et in viridi laetentur germina ligno,
Quale solet pomis arbor onusta novis.

Dixit, at in viridi succisa est germine planta,
Amplius in viduo nec fuit illa solo.

Vix ea fatus eram coram stetit inclyta (Pallas
Ambrosias fulva casside pressa comas.
Hastam dextra tenet metuendam cuspide (saeva,
Et clypeus levae nobile pondus erat.

Illa quidem liquidum demulcens aera voce;
Alloquio Vates non abigende meo,

Perge, ait, exitium facili monstrare juventae;
Sic tibi stet viridi Daphnide tectus apex.
Nunquid foeda Venus miserorum corpora (tantum
Laeserit? ah majus, quod male perdat, ha- (bet.
Partem animae aetheream, in mentem grassa-
Ingenii vires altius ire vetat.(tur; et ipsas

Ah quota pars juvenum nemoroso in vertice
Et foret Aoniis gloria rara jugis. (Pindi,

(sas,
Atque audituras traherent ad carmina Mu-
Carmina funereum non subitura diem.

Ast illos Erycina ferox illexit amore,
Jussit, et immiti subdere colla jugo.

Conentur licet aeratos abrumpere nexus,
Nexus qui firmet fortior usus erit.
(mentes
Ergo ego quae poteram clarum super aethera
Tollere, Acidaliae vincor ab arte Deae.

Dixit, et ante oculos velut indignata recessit,
Perculit et vultus mobilis aura meos.
(es,
Et bene quod Virgo patrio cito reddita coelo
Telluremque imam non reditura fugis.

Hic quoque si degat coelo delapsa sereno;
Hic quoque Virginitas vix modo tuta foret.

Sed tua sacra fero, Pallas; mihi gratior uni,
Da tua nunc nostrum jussa sequatur opus.

Ah miser insano qui se committit Amori,
Incidit et casses, saeve Cupido, tuos.

Sordidus et vitiis, et probris undique opertus,
Inde sui labem contrahit ingenii.

Non satis innumeras saevire in corpora pestes,
Ni quoque in infandum mens sit adacta (malum.

Quid mihi Caucaseo pendêre Promethea saxo,
Invictumque stupes tempus in omne jecur?

Et fixos manibus clavos, et fortia vincla,
Membraque perpetuo torrida facta gelu?

His graviora pati miserabile vulgus amantum
Idaliae cogunt sceptra superba Deae.

Nulla quies animo, ceu quum mala saga susurro,
Devovitque suis pectora carminibus.

Impia cantatas exurit flamma medullas,
Qualis in Oetaea saeviit ante pyra,

Hinc patrii subeùnt animos oblivia coeli,
Nec sedet in casto pectore Relligio.

Non Pietas cordi, nulla est reverentia lêgum,
Cui Venus ardentes admovet ipsa faces.

Cunctorum inventrix scelerum vesana libido,
Ingenii atque hominum maxima pernicies.

Sed tu, dius Amor gemino de Lumine Lu-(men,
Alme Deus, summi fons et origo boni.

Tu mihi divino sensus tu flamine lustra,
Et mentem sanctis ignibus ure meam.

Scilicet hi poterunt felicem ducere vitam,
Quorum casta tuo numine corda calent.

CHRISTINAE
SVECORUM REGINAE
PANEGYRICUS.

Mentem hominum quanta divini Numinis aura
Afflari deceat, quanto et molimine ferri,
Largius ut claris exuberet undique factis,
Et se cognato deducere semina Coelo
Approbet ingenio, contestatumque relinquat,
Exemplo, CHRISTINA, tuo praesentia sècla,
Et pia posteritas vestros mirata triumphos
Agnoscet, nec erit magnarum oblivio rerum.
Certe ego, Romuleas postquam devenimus arces
Auxilio Phoebi, et fatis melioribus acti,
Vidimus et flavas Tyberini fluminis undas;

Quas circum ludunt arguto gutture Cycni,
Et resonare docent florentia rura Maronem.
Vidimus et moles, atque ardua templa Deo-
rum
Daedaleae monumenta manus, minitantia
celsis
Nubibus; et media attoniti spectavimus Urbe
Tot decora alta virum, tot ductas ordine
pompas.
Et quae clara sibi potis est insignia Virtus
Congerere, externi non amplius indiga cultus;
Omnia quum meditor, vestro, CHRISTI-
NA, favore
Haec tamen aucta magis, magis et splen-
descere novi.
Ac veluti innumeri rosea de lampade Phoebi
Erumpunt radii, quibus unda, et flabilis aer
Pellucent, vario pinguntur et arva colore,
Et viridi rident gemmantia prata smaragdo,
Cunctaque terrarum facies hilarescit, et ae-
ther
Et Mare velivolum; debent tamen omnia
Phoebo:
Sic quidquid magnum, quidquid mirabile,
quidquid
Egregium spectasse datur, de sidere vestro(di.
Prodire, inque ipsum sic vidimus usque refun-
Sed velut in pratis Virgo properare co-
rollas
Dum cupit, et blandae quaerit sibi frontis
honorem,
Tot varios inter, rutilantia sidera, flores,

Quem nivea carpat dextra, quem praeferat, aut quem
Judicet eximiae splendorem adiungere formae,
In dubio est, inopem felix et copia reddit;
Haud aliter laudum crescit mihi tanta tuarum
Materies rerumque adeo mihi suppetit usus,
Ut partes animus jam sese verset in omnes,
Et sese officio jam sentiat esse minorem.
O propriis foecunda bonis! facit aurea Virtus,
Ipsa tibi pretium, quidquid quaesiveris extra
Te minus usque foret. Fulvo diademate frontem
Vincire, et sceptro dextram exornare potenti
Sint pretiosa aliis superosque imitantia Divos.
Tu majora putas animo super ardua niti,
Eximioque tibi statuisse in pectore Regnum
Firmum inconcussum, aeternoque perennius aere.
Nam poteras late populos ditione tueri,
Arctoasque acies, inque aspera bella phalanges
Duxisse, et memini, ut patriis e sedibus olim
Excita hostiles complesti milite campos,
Ut virtute animi, galeaque insignis, et hasta
Romanas Aquilas, et frangere Theutonas armis
Ausa es, et invicto concurrere viribus Orbi.

Haec potuisse satis : celso de vertice Pindi,
Quae fertis pia sacra Deae nunc volvite facti
Eximii seriem, recolet quod fama superstes.
Aethereo noster cum jam Sol aureus axe
Sidereis hucusque choris sua jura dedisset;
Auricomum posuit rutilo cum syrmate lumen,
Rem miram! patrioque libens concessit Olympo.
Scilicet ut summum coleret super omnia Solem
Ille suos currus, agilesque remisit habenas,
Major et haec, inquit, moderamina Phoebus habeto,
Cui Superum mentes, chorus ancillatur, et omnis
Coelituum, dio spargentes nectare flores,
Dum plaudunt rerum Domino, Regemque salutant.
Sic tua te, ingens Herois, pulcherrima Roma
Et Trabea, et Sceptro miratur sponte carentem
Pareres ut tota Deo; sed forte videris
Dum solium sprevisse, animo majora petisti.
Nam mortale genus tunc se praestantius esse,
Nobiliusque docet, cum sese tollit ab imis
Sedibus, et rapida sublatum mente per auras
Auctori placuisse suo vehementius ardet.
Nec sceptra Isacidum, nec quae Nilotica tellus
Tot Regum monumenta colit; non Persidis omnes,

Non quas nutrit opes praenobile litus Erythrae;
Argivi non rura Soli felicia; non quod
Protulit imperii magnum gens Romula nomen.
Prae eximio fuerit cuiquam spectabile Regno,
Quod virtus dare sola potest, quodque approbat aether.
Hinc tibi vocales Parnassia cura Poetae
Fundunt grande melos, tantas et dicere laudes
Uno omnes ore exoptant; nec gratior ulla est,
Quam, quae de vestro signatur nomine, Laurus.
Scilicet aeterno vivent in carmine vates,
Dum tua gesta canunt saeclis spectanda futuris,
Et varias animant dulci spiramine formas.
En video, ut niveis fertur subvecta quadrigis
Cana Fides triplici frontem redimita corona,
Et quae siderea de majestate refulget.
Illius auratas praetendit dextera claves,
Queis Pater omnipotens, ne non solemnia summi
Jussa forent Gnati verbis sancita verendis,
Et valvas aperire dedit bipatentis Olympi,
Et manes cohibere feros, Erebumque profundum.
Parte alia decus astrorum, pulcherrima Mundi

Una salus Crux alma nitet, quam purpura Regis
Exornat, noscuntque suum fida agmina signum.
Tuque adeo sacris nomen venerabile fastis
CHRISTINA, aeterno laus accessura triumpho;
Poplite subnixo partae monumenta salutis,
Sacrorumque Patrem colis ipso in limine, et illi
Subiicis arcano perculsam Numine mentem,
Subiicis et sceptrum Crux, o Crux aurea salve,
Salve Tarpaejae ter maxime Jupiter arcis,
En vestrum sequor auspicium; prae divite Regno
Sat mihi, si vobis nostra est addicta voluntas.
Nempe tuum firmat Divum Sapientia pectus,
Quae simul ac magno mentem succendit amore,
Sedibus hanc ipsam, et claris praeponere Regnis,
Et summum didicisti animi pietate tro- (phaeum
Instruere, ut prae te sola nil majus haberes,
Quicum praecipuum ad laudem certamen inires.
Vidimus hinc tortis frustra saevire flagellis
Invidiam, et manibus post lurida terga revinctam
Infremere, et frustra nigros agitare colubros.

Infremat illa licet, nigros agat illa colubros,
Usque sibi poena est, qua non habuere Tyranni
Majorem Siculi, non si Mezentius illis
Addaturque, trucemque illis Salmonea jungas,
Horribilesque thoros, saevi et Busiridis aras,
Scilicet hoc proprium est, ut grandia facta dolorem
Invidiae pariant, stet magnis gloria factis.
Interea victis dum te vaga sidera monstris
Expectant, justaque Poli plus parte relinquunt,
Hic juvet excultas Orbem illustrare per artes,
Et te Palladia praecinctam ostendere Oliva.
Nam veluti ex una trepidantis origine lymphae
Plurima vena salit, variique ad plurima rivi
Ducuntur, facilesque trahunt, qua jusseris, undas;
Seu Platani geniales, seu tibi Citrea sylva
Forte riganda foret, biferique rosaria Paesti;
Sic tibi, quae exurgit dio Sapientia fonte
Unica multiplici confert sua munera ductu.
Ultima tantarum fuerit nec gloria rerum,
Quod te praesidium, ac decus artibus omne ferente,
Nunc quoque Praxiteles vivos de marmore vultus
Ducit, et effuso fulget Liysippus in aere,
Atque alii mutas animant ab imagine telas,
In dubioque est ars possit, naturane vinci,

Nam rerum generosa parens quum deficit, arte
Corrigitur, mancum et quidquid foret, auctius exit.
Nostraque Daedaleas mirantur tempora vires,
Quae auxiliis crevere tuis, teque auspice facta
Ingenii, studiique omnis solertia major.(est
Sed quid ego haec memorem? quot ab aethere purpureus Sol
Emittat radios, pluviis quot nubibus alto
Usque polo recidant imbres, Hyemalibus Austris (mi,
Quot sese agglomerare nives in vallibus Haemi,
Aut Hebro soleant, ripisque binominis Istri,
Aut citius numerabo tuos, terra Attica flores,
Aut volucres quot pascis Apes, Ligur inclite, vestris (bra,
Cedrina queis frondet sylvis felicibus umbra,
Quam quae divino congestae munere dotes
Una omnes rutilant: tibi nil, CHRISTINA, relictum,
Quod magnos animi non undique proferat ausus.
Jamque Polum scandis; jam jam super aethera summum
Proveheris, Divumque potes cognoscere jura,
Vertice et excelso terras spectare jacentes,
Atque inde humanis succurrere provida rebus.
Hic quoque quanta fores visa est pulcherrima Pallas

Ore loqui, et Cyrrhae tremulis quum sisteret undis,
Dicitur Ascraeas quondam docuisse sorores.
Dum loquitur, sacrae cantu abstinuere volucres, (pis,
Quae vada purpureis celebrant Heliconia ri-
Continuitque sonum trepidantis murmuris ipse,
Ambiguo erumpit qui vertice dulcifluus fons,
Atque aurae siluere leves, siluitque comanti
Fronde nemus, Laurique et coniferae Cyparissi;
Diva canit fatorum arcanum, ac talibus infit.
Tempus erit quum quis nostrum cognoscere Numen
Forte volens, Grajas jam non properabit Athenas;
Sed te, Roma, petet, Felicia saecula, nostram
Queis CHRISTINA feret monumenta per omnia laudem.
Illa meas gerat una vices: nam Dardana pubes
Palladio ceu tuta fuit, steteruntque superba
Pergama quae laevo prospexit lumine Juno:
Sic ubi CHRISTINAE placuit sibi figere sedem
Illic firma quies; studiis atque apta fovendis
Publica felici nituntur commoda fato.
Quumque illa abfuerit; retro collapsa referri
Omnia tunc videas: facient sua vota Quirites,
Sed frustra amissam revocabunt vota salu- (tem.

Oh mihi quam blando saliunt praecordia motu !
Ecce iterum in terris, iterum mea Regna videbo
In Latiis terris; celsae Capitolia Romae
Inclyta dicentur traxisse ad Tybridis undam
Migrantes Grajo peregrinas litore Musas.
Ecce iterum mihi sacra cohors, mea signa secuta
Militat, et mentis, qua fertur concitus ardor
Sese agit, et nostra gaudet certare palaestra.
Certandi genus egregium, seu quaerere verum
In sylvis Academi; almas torquere sagittas
Seu juvet e Sophiae pharetra; seu docta Lucreti
Tradita Romanis expendere dogmata chartis.
Num sibi concurrant discordia semina rerum,
An volitent variis vastum per inane figuris
Corpora; numve suo libretur pondere tellus,
An circum magis acta rotet; num vivida Solis
Omnia componat, conservet et omnia virtus.
Sic bene dum certat, dum magnis militat ausis
Auspice te, lauro frontem, CHRISTINA, virenti
Precinget, studiisque vigens Academia claris
Proferet aeternum victrix per secula nomen.
Dixerat; et plausu circum assensere canoro
Aonii fontes, sylvaeque, atque antra reposta,

Omnia fatidico quae complet numine Dirce.
Quis tibi non plaudat, quae diceris altera
Phoenix,
Et quae praepetibus trascendis nubila pennis?
Namque tibi plausere olim Parnassidos
undae
Pectore qui toto latices hausere, nec illos
Terruit invicta asperitas, praeruptaque saxa,
Quae de Pieria pendent minitantia rupe.
Illi seu vincto, seu vis sermone soluto,
In laudes, CHRISTINA, tuas impensius ire,
Et poterant niveis ferri sublimius alis,
Materia praebente novas ad carmina vires.
Seu decus, et formae blanda, et generosa
venustas,
Seu vis illa animi, totum quae fulciat Orbem,
Seu dicenda foret majestas inclyta frontis,
Qua egregie assurgis, seu quam reverenter
haberi
Debeat ille vigor, quo sese nobilis ira
Exacuit; novitque tamen subsidere flamma,
Mitior et fieri, nec non placabilis esse.
Nam veluti facies nitido redit aurea Coelo,
Undique quum fugiunt Boreali flamine nubes,
Quas pluviique Noti, et madidus collegerat Auster;
Candida sic rursum placidis stat gratia ver-
Atque serenato remeat pax aurea vultu. (bis
Seu mentis dicendus apex, quae comprobet ortus

Ut generosa suos, jam dedignatur inanes,
Nec potis est animo imbelles admittere
curas.
Haec illi poterant fatis melioribus orti;
Haec grandes illi poterant, quos aequus
amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad aethera
virtus.
At nos exigua consueti ludere cymba,
Nos, quibus in pelago minus arrisere secundae,
Nec nostris plausere leves conatibus aurae,
Deterimus forsan tenui sublimia cantu.
Parce ausis, CHRISTINA, meis, nec despice nostros,
Qui tamen obsequio nunquam caruere labores.
Haec te, Magna, decent; de Majestate
remissum
Nam foret inde tua, modulo si expendere
cuncta
Humano velles; nec te de gente Deorum
Agnosses, parili temnens incedere gressu.
Ecce vides, paucas aris imponit aristas
Messor, et eximii pars illa est ultima
acervi,
Placat et inde Deum: mentem nam Jupiter aequam
Aspicit, exiguo quamvis, et munere gaudet.

Illustriss. et Reverendiss. Domino

LAURENTIO CASONIO COMITI

S. D. N.

Innocentii XI. a Secretiori Cubiculo.

ODE

LAURENTI amico non tacende carmine;
(Nam quis te iniquo supprimat silentio
Doctum, integerrimum, et refertum moribus
Priscis, fidemque confoventem pectore ?)
Si me fugacis urget ira temporis,
Nil turbor; ille se diutius quidem
Vixisse dicet, qui provectus ingenî
Virtute vixit, et favente Apolline.
Nam turba quamvis moliatur invida
Cladem, eminenti qui resedit vertice
Pindi, furores ille temnit improbos,
Lethique victor, sordidae et plebeculae.
Annosae Quercus ut jugosum Pelion
Firma insidet, nec saevientes impetus
Formidat Euri, nec superbus Arbiter
Arctoo ab Axe quos tumultus excitat.
Jam versa, sive prorsa fluat oratio,
Equos utrosque junximus docti jugo,
Seu Patrio sermone, seu vis extero.
Anacreon jucundior melle Attico,

Virente Mirtho qui revinctus tempora,
Ille ille Etruscis saepe mecum collibus,
Gressum frequentans ludibundo carmine.
Alumne, dixit, hanc modo lyram accipe;
Dignatur hac te Cantor ipse Cynthius.
Intactus et mî Pindarus non extitit,
Excelsa quamvis scandat, et per ardua
Exemplar ingens, sed viris ingentibus.
Aetas at inde dum propinquat firmior;
Majore mentes qua vigescunt augmine,
Vatum priorum lance justa expendere
Me scripta juvit, et venusta, et optima
Non quaestuosis indicaré laudibus.
Nam semper ad pejora sunt qui proximant
Illic morantes, coeno ubi exalat gravis
Aestus, reflatu pinguiore torpidi
Flores relinquunt, et roseta roscida.
Ut vera dicam, hos juvit excitarier,
Illi excitari si quidem per nos queant,
Natura pronis quos recurvat mentibus.
Mox et Poesim serio volumine
Defendimus, ne nos obesse moribus
Putent, minarum turgidi, qui territant
Urbes, et Orci Numina, et Manes crepant.
Jam sive Amoris telo aduror igneo,
Aperta sive rura dulci arundine
Percurro, duras semper odi voculas,
Cethegus ipse quas repente respuat;
Et plana quae sunt, limpida, et fluentia
Consector ultro, ut omnibus sim pervius,
Hinc nostra multi despicantes elevant,

Et garriunt per Urbem, et aureas domos,
Forum, Theatra, Porticus potentium
Illorum ineptis haud ego mutor modis;
Viris probatis, et satis fidens mihi.
Haud mutor hercle: non si et alter Attalus,
Non si beatus dicar, atque lucido
Ostro mihi frons ipsa purpurasceret.

Pro Sereniss. et Eminentiss. Principe

S. R. E. Cardin.

MICHAELE RADZOVIO

Primate Regni Primoque Principe Poloniae

ELEGIA

(VIUS Urbem,
Postquam Romuleam accessit RADZO-
Laetata est ripis Tybridis unda suis.

Nam quo Sarmatici consurgat gloria Regni
Jam satis in tanto Principe nosse datur.

Ille sua fulget radiatus tempora Lauro,
Atque illi aurata in cyclade splendet honos.
(que tiaras
Splendet honos qui sceptra super Regum-
Externo haud nixus pondere pondus habet.

Sed licet eximio sese undique lumine prodat
Laudari Ausoniis gaudet et ille modis.

Ecce vides; sacros circumvolat infula crines,
Romuleoque nitet murice tectus apex.

Et vox una sonat, quod nemo est dignior ostro
Qua patet Arctois Regia clara jugis.
(placat,
Jamque pia dat thura manu, jam Numina
Fundit et augusto plurimus ore preces.
(Istrum,
Haec agit Austriacum dum pertonat alter ad
Terret et Odrysios per fera bella duces.

En tibi qui partos congessit Roma triumphos,
Pressit et indomito barbara colla jugo.
(Regem,
Quam puto praesentem cuperes cognoscere
Publica quo didicit firmior esse salus!

Per fora, per plateas tunc circumfusa Juven-
Iret in applausus obsequiosa suos. (tus
(pas,
Atque novas traheret celsa ad Capitolia pom-
Et longum spoliis usque niteret iter.
(istis
Invida fata negant; votis RADZOVIUS
Sed sat erit, tantas impleat ille vices.

Hic studio Pacis, spectabilis ille per arma,
Clara ambos Virtus, sed facit una pares.

Ad Eminentiss. Dom. S. R. E. Cardinalem

FRANCISCUM NERLIUM.

ELEGIA

(drigis,
Jam lux festa redit niveis invecta qua-
Clarior assueto tu quoque Phoebe nites.

Scilicet aeterno famulantur Sidera Regi,
Qui trahit edomitam sub sua vincla necem.
(Adae
Nascere, magne Puer, per quem raeparabilis
Lapsus erit; miseris quam modo tarda mo-
(ra est!
Nascere, et aetherei jam desere limina templi,
Taedia nam pigri temporis odit Amor.

Audimur; viden, ut terram ploratibus urget,
Et tepido roseas proluit imbre genas?
(phae
Jam quae Jordanis sacro de gurgite Nym-
Exeritis rutilas Sole stupente comas;
(rorem;
Colligite undantem, quem spargunt lumina,
Atque eat officio quaelibet aucta suo.

Quas piscatur Arabs vicino in litore conchas,
Et poterunt Solymae vincere divitias.

ELEGIA

Cui Titulus

QUERELA

Ille ego, qui tuto credebam sistere portu;
Rursus agor saevo ludicra praeda Mari.

Nec mihi dona sacris imponere profuit aris,
Nec pelagi magnos thure piare Deos.

Ecce iterum irati surgunt in praelia venti;
Hinc Aquilo, inde gravis concitat Auster (aquas.
Ecquis erit finis? num caerula numina ponti
Forte juvat nostris ire superba malis? (bam,
Diripite, et fragilem ad scopulos allidite Cym-
Et lacera undisono spargite membra salo.

Hos ego jampridem potui sperare labores,
Liquimus ut patriae limina parva domus.

Illa dies miserae non indefleta parenti
Spondebat nostrae longa pericla rati.

Illa dies primo quum vix exsurgeret ortu,
Obduxit roseum pallida facta jubar.

Haud aliter Phoebe magni subit oscula fratris,
Stans ferruginea cyclade tecta humeros.
(sortes,
Unde graves metuunt trepidantia pectora
Fingit et in majus damna futura pavor.
(Aether,
Discere debueram, quum totus inhorruit
Quae capiti ingruerent non nisi dira meo.

Illum infelicem, qui non praesagia coeli
Noverit, et Clarii signa verenda Dei.
(aequam,
Novimus; at mentem nobis Deus abstulit
Et dedit iratis pandere vela Notis.

Interea furit acris hyems, saevisque procellis,
Remigio nudum torquet utrumque latus.
(stris;
In brevia, et Syrtes, atque obsita litora mon-
Ventorum, et pelagi trudimur arbitrio;

Nec tibi sat fuerit tantas, Fortuna, per artes
Illusum innumeris saepe agitasse modis.

En quoque pugnaces ornas in praelia morbos,
Et ruit in miserum, te duce, tota cohors.
(aegro
Nil mihi jam prodest, quidquid Podalirius
Diluit arte potens, quidquid et Hippocra-
tes,

Saeviat in corpus, nostrae dum parcere menti
Sors velit, intactis viribus ingenii.
(undas
Spes vanas hominum! Flavas ad Tybridis
Tentamus dulces saepe movere sonos.
(noro
Sed vix (vera loquor) plectro incubuere ca-
Extemplo digiti diriguere gelu.

Talis erat Niobe mutatis saxea fibris,
Orpheus amissa talis ab Euridice.
dax,
Falsa licet fuerint, quae finxit Graecia men-
Me tamen a vero sors procul esse negat.

Me mihi surripuit duri inclementia fati,
Improba saevities me mihi surripuit.
(ardor,
Qualis eram, quantusque modo subcreverat
Dum colui ripas, lauriger Arne, tuas.
(res
Tunc faciles aderant generosa in carmina vi-
Immitesque dabant flectere posse feras.

Extincto nunc quaero miser de torre favil-
Et negat optatam Delius ignis opem. (lam

Nunquid et ingenium fati sub jura venire
Dicitur, et claros nox tegit atra Viros!

(rima seclis,
Credo equidem ; Priscis nam quot celeber-
Pectora, quae exiguum vix modo nomen
(habent!
Exiguum dixisse pudet, tot grandia nullum,
Grandia tot nullum pectora nomen habent.
(quae?
Ergo ego quid fatis, quid sorti indigner ini-
Hanc penes arbitrium est cuncta movere
(loco.

IN LIVIDOS

De obitu Praeclarissimi Viri

STEPHANI PIGNATTELLI

EPIGRAMMA

O neque lectorum cineri placate Virorum,
Nuda etiam insectans Nomina, Livor edax!
(tis,
Hoc jacet in Tumulo Romanae Gloria gen-
Ingenio Stephanus maximus, ore, fide.

Si tibi sat non est, magnae placuisse Trionum
Reginae, Coelo quod placuissse fuit ;

De tot Romulidis, hoc discedente, relictis,
Ut diversa probes Invide, prome parem.

CATONIS UTICENSIS TUMULUS.

EPIGRAMMA.

(gentes ,
Ille , super cunctas quo clara est Utica
Hoc jacet Ausoniae gloria sub tumulo.

Fama ingens, quae magna solet protendere
Spargit odorata florea serta manu. (facta

Vitales auras mens indignata reliquit,
Admissura nihil, quod sibi turpe foret.

Et de marmoreo vox exilit alta sepulcro :
Desit libertas, jam mihi vita mori est.

Quis te, magne Cato, proprio dum concidis
Deneget invicta procubuisse nece? (ense,

Quum tamen adversae nequeas obsistere sor-
Te fortem si quis dixerit, acta negant. (ti,

AD ANNIBALEM ALBANUM

CLEMENTIS XI. PONTIF. MAX.

NEPOTEM

Quum Doctoratus insignia acciperet.

EPIGRAMMA.

Arma alia, atque alias artes, non qualia Mavors,
ANNIBAL expediit divite ab ingenio.

Scilicet egregiae meditatur praemia Palmae,
Ardua qua Virtus dulce recludit iter.

Ille alter, qui Romanas surrexit in arces,
Quid nisi saevitiam, qua memoretur, habet?

Hac duce nam patrias olim juravit ad aras,
Romulidis hostem se fore perpetuum.

At noster placida arma movet, clementia tela,
Et bene promerita Daphnide cuncta fovet.

Ergo illi aeratos sublato cardine postes
Hic, ubi templa nitent aurea, pandat Honor.

Quippe triumphatas uni sibi subdere mentes,
Gloria magnanimo est clarior ANNIBALE

THOMAE CEVAE

E SOCIETATE JESU POETAE CL.

PRO AMICO

GRATIARUM ACTIO.

Quantum, quae Coelo fertur Jovis Ales (aperto
Imbelles potis est penna superare Columbas;
Aut quantum aeriae, sylvarum oracula, Quercus
Exsuperant humiles per florida rura Genistas;
Tantum, quae dulci manant tibi carmina vena,
O decus, o Latiis nimium dilecte Camoenis,
Ceva, meos vincunt, queis frustra adnitimur, ausus.
Inde mihi incutiunt laudantia verba pudorem:
Dum tenuis quantum surgat mihi pectore Virtus
Conscius, atque ipsum te cernens dotibus auctum,
Magnis, innumeris, et Phoebi Daphnide dignis,
Serpere humi cogor, strepere inter et Anser Olores,

Atque alios spectare leves super aethera ferri.
Ergo tibi grates nequeam quum reddere; mentis
Obsequium, si Musa negat, pia vota secundet.
Vel satis hoc fuerit, vel nil satis esse fatendum est.

ERUDITISSIMO POETAE

GRATIARUM ACTIO.

EPIGRAMMA.

Quod mihi congestas tribuisti carmine (laudes,
Te magno exemplo non caruisse puto.

Scilicet egregiae, quas servas pectore dotes,
Hae tibi in alterius laude canenda parant.

Errasti hoc tantum, per te quod parta corona
Stat mihi, quam quisquis noverit esse tuam.

AVVISO

Avendo il Dottor Francesco del Teglia, prima di metter mano alla presente impressione dell' Opere del Menzini, disposto in buona ordinanza tutte le medesime, e presone infra alcuni suoi distinti Ricordi l' opportuno registro; dopo aver descritte l' Opere da inserirsi ne i quattro Volumi già da noi pubblicati, non lascia di dar norma, e di suggerire, che si facciano diverse diligenze, e perquisizioni appresso varie Persone letterate, le quali anche espressamente egli nomina, affine di ritrovare non pochi Componimenti dell' Autore, sì Toscani come Latini, accennandone di essi infin le Iniziali parole, e dà notizia ancora di un Libro in quarto legato in cartapecora, scritto quasi tutto di mano dell' Autore medesimo, nel quale deve essere un notabile frammento di circa 200.

versi del quinto Libro della Filosofia Morale, ed altre varie Composizioni, che tutte sono del Menzini, e molte di esse già stampate. Fa egli menzione parimente d' un Ragionamento sacro, che fu universalmente applaudito, e che incomincia Piangono le Damigelle di Sion ec. *e d'alquanti Capitoli berneschi, infra i quali avvene uno sopra i Principj della Pazzia, e gli altri sopra diversi Soggetti, e d'un Ditirambo intitolato Narciso al Fonte. Di tutti i quali Componimenti, sì in Prosa, che in Versi, il medesimo Teglia dice, che ritrovandosi, se ne formi un quinto Volume da aggiugnersi a questa nostra Edizione. Noi per tanto, che bramiamo di renderla perfetta al più, che sia possibile, non aviamo tralasciato di praticar tutte le diligenze per ritrovare i Componimenti dinotatici dal detto Teglia, e maggiori ancora se ne anderanno facendo per conseguirli, conforme si spera, che felicemente debba sortirci, mediante l' autorità di Personaggio non meno nobile, che erudito, dal quale venghiamo quasi che assicurati del conseguimento del suddetto Libro, e d' alcuni de' sopraccenati Capitoli. Di qui è, che avanziamo una tal notizia a' Signori Letterati, e principalmente a quelli, che descritti sono nell' Associazione, che se mai per alcun tempo arriveremo ad avere in*

poter nostro tali composizioni, ne porgeremo loro particolare avviso, acciò possano godere di quell' avvantaggio, che si giudicherà più proporzionato alla spesa, che seco porterà il detto quinto Tomo, della quale non potranno partecipare quelli, che non si sono associati. E se alcuno vi fosse, che per avventura possedesse qualche pregevole Componimento del medesimo Menzini, lo preghiamo a non voler defraudare il pubblico col tenerlo sepolto, poichè comunicandocelo, non solo il gradiremo al sommo, ma ne daremo un vivo contrassegno di perpetua gratitudine.

VITA

DI

BENEDETTO MENZINI

FIORENTINO.

VITA

DI

BENEDETTO MENZINI

Scritta dall'abate Giuseppe Paolucci da Spello, notabilmente accresciuta con un dialogo in fine del Sig. Dottor Giuseppe Bianchini di Prato, nel quale si discorre sopra un giudizio dato da Pier Jacopo Martelli intorno al poetare

DEL MENZINI

E D'ALESSANDRO GUIDI.

VITA

DI

BENEDETTO MENZINI.

Se egli è pur vero (come si crede, che non possa mettersi in dubbio) che le Città grandi, ed illustri, e i Cittadini per molta virtù, e per approvato valore famosi, diansi fra loro, e ricevano egualmente a vicenda aumento di gloria, FIRENZE Madre feconda di tanti incliti ingegni anderà certamente più chiara, per essere stata Patria di BENEDETTO MENZINI, ed Egli anche più celebre di quello, che per se stesso siasi, per esser Figlio di sì riguardevol Patria. E ben mostrò questi di conoscere tal suo vantaggio, e ne fece indubitata testimonianza, allor quando nelle prime stampe delle sue opere, deposto il suo cognome, volle farsi solamente dal Mondo conoscere per BENEDETTO FIORENTINO. Nacque Egli adunque in Firenze in una Casetta situata sovra una pila del Ponte a Rubaconte, primo de'quat-

tro Ponti, che uniscono la Città dall'Arno divisa, così detto da MESS. RUBACONTE da Mondello di Milano, che essendo Potestà di FIRENZE l'anno 1237. lo fondò, e gettò con le sue mani la prima pietra. Sovra detto Ponte, come attesta egli medesimo nella settima delle sue Satire

——*fra tre mattoni in Rubaconte*
Nacque

Gemello con Francesco di lui maggiore e ciò seguì l'anno di nostra salute 1646. la notte del Giovedì santo alli 29. di Marzo, da poveri sì, ma onesti Parenti, e ciò accrebbe maggior fregio alla sua Virtù, imperciocchè, quantunque posto in una assai angusta fortuna, e privo di quegli agj, e di quelle comodità, che agevolano il modo a' Padri di allevar bene i Figliuoli, e di mantenere accreditati Maestri, che gl' istruiscano nelle scienze, e dian loro quegli ornamenti di lettere, che distinguono gli Uomini di talento dalla bassa schiera del volgo; Egli nondimeno si portò da se stesso a quel grado di sapere, e di fama, nella quale con molta gloria della sua Patria ora si scorge. Di questa infelice condizione in cui venne al Mondo, fece nella sua ACCADEMIA TUSCULANA (della quale si ragionerà a suo luogo) distinta memoria, con introdurre nella PROSA quinta la

persona del Dottor PIERO ANDREA FORZONI, sotto il nome Arcadico d'ARPALIO, e quella del Dottor GIO. BATISTA ROSSI appellato Arcadicamente EROTIMO, a parlar così di lui stesso „ O quanto (prese egli a dire verso EROTIMO,) o quanto è diverso il novello laudatore della sua LAURA testè ricordato, dall' antico, e valorosissimo, il quale empiè di sua chiara fama ogni paese, dove amore, e cortesia traggono il lor felice soggiorno: l' uno, benchè a povero stato inchinasse, fu nulladimeno padrone di qualche gregge; l'altro DIO sa, e se gli avesse nè irsute pelli onde coprirsi, nè capanna, nè tetto ove ricoverarsi. Il primo mietè a fasci i Lauri trionfali, e ne andò glorioso su per gli sette colli di Roma, il secondo a grande stento piantò una piccola vermena, che miracolo è al certo, che reggesse al flagellare di Borea, e che ad onta dell' avverso temporale pur si vestisse del verde onore delle sue frondi. Ma ancorchè in così strette contingenze, e nella mancanza delle cose più necessarie posto si vedesse, nulladimeno tratto da un nobil genio di vincere la sua fortuna, e schivo di avvilir la mano, e la mente nell' esercizio d' arti meccaniche, e ignobili, alle quali il Padre, per sollievo della

sua povera casa volentieri impiegato l'avrebbe; si diede a tutto suo potere fino da i più teneri anni alla cultura del proprio ingegno, frequentando con non mai interrotta, e sollecita fatica quelle scuole, dalle quali ritrar ne sperasse un non ordinario profitto. Fatto dipoi adulto, per dar qualche saggio della sagacità del suo spirito, per cui dovea un giorno apparire quel grand'Uomo che in fatti riuscì e nella rettorica e nelle Poetiche facoltadi, non tralasciava d' intervenire con pronto animo alle accademie di sua Patria, ed a quella in specie omai sì celebre degli APATISTI, a cui egli si protestava molto obbligato, per essergli servito di sprone agli Studi, lo scorgere, che in essa faceva una quantità di suoi coetanei avanzarsi a gran passi nel cammino della Gloria. Amò oltremodo il trovarsi ne i Congressi di Persone erudite: siccome cercò sempremai di acquistare, e mantenersi la benevolenza de' primi Letterati, come apertamente si vede da una sua Lettera scritta all' Eminentissimo Cardinal NERLI: *Nam illud mihi ab ineunte aetate fuit in votis (quod quidem maximum ingenuitatis indicium est) doctorum Virorum gratiam colligere, collectam non effundere, sed verbo, et scripto, atque alio omni officiorum genere custodire*. Quindi più oltre passando acquistò anche

la cognizione, ed il possesso di molte altre Scienze speculative, e morali. E scegliendo col suo ottimo gusto i più gravi e rinomati Autori per norma, e guida, quegli continuamente fra mano rivolgeva. Oltre la Lingua Latina, e Toscana da esso bene e francamente possedute, ebbe ancora sufficiente, ed onorevole cognizione della Greca, e della Franzese; ed a queste aggiunse qualche notizia dell' Ebraica, delle quali per anche fra i suoi Manoscritti si conservano alcuni studiosi esercizj. A questo suo buono incamminamento contribuì grandemente la generosità del March. GIO. VINCENZIO SALVIATI Cavaliere Fiorentino, riguardevole non meno per lo splendore de' nobili natali, che per le singolari doti dell' animo, il quale ravvisando in BENEDETTO MENZINI, allor giovanetto, un vivo talento, e una capacità di mente atta ad apprendere qualunque più ardua disciplina, volle averlo appresso di se con prestargli il ricovero della sua casa, e stender la sua favorevol mano a questo Giovane, che a gran passi, con tal soccorso si incamminò poi per l'erta strada della Virtù. Cresceva adunque il MENZINI nell' età, e insieme nelle Lettere sotto la disciplina del Migliorucci Maestro allora di Rettorica, essendosi sollecitamente spedito da i primi studj di

Grammatica, e Umanità; e con la buona direzione di tal Precettore, profittò tanto nell' arte dell' Eloquenza, che se ben giovanetto destò talvolta l' ammirazione anche nei più facondi Letterati, tra i quali FRANCESCO ZAPPATA celebre Predicatore, uditagli recitare una sua Orazione, ebbe a dire, che un giorno sarebbe con molta sua gloria, e della Patria riuscito un' ottimo Dicitore; ed in breve tanto si avanzò sovra degli altri suoi condiscepoli, che giunse anche talora o in assenza, o per sollievo del Migliorucci suddetto, a dar loro lezione; finchè mancato per morte il medesimo, mosso da un nobile desiderio di giovare altrui, stimando di niuno uso, o di poco prezzo quel bene, che fatto privato ad altri ancora non si comunica, si pose a leggere, in luogo del defunto, pubblicamente Rettorica, con molto concorso, e profitto de' suoi concittadini. In tale occasione diede bene spesso qualche saggio di suo sapere, ora con Declamazioni private, ora con pubbliche Orazioni, fra le quali, quella non è da tacersi, che predicando nell' insigne Collegiata di S. LORENZO il dottissimo Padre PAOLO SEGNERI della Compagnia di GESU', nè potendo nel solenne giorno di Pasqua di Resurrezione (secondo il solito de i Predicatori di quella Chiesa) perorare nella

Venerabile Compagnia di S. BENEDETTO Bianco, fu scelto in suo luogo il MENZINI, il quale in brevissimo spazio di tempo fece un sì elegante, e fruttuoso Discorso, che gli acquistò una grandissima stima, ed applauso universale. Nè parimente sarà fuori di proposito il narrar quì un caso, che in quel tempo gli avvenne il quale farà in parte conoscere, quanto egli sapesse ben porre in opera la forza di quell' arte, che allor professava. Era Egli nel primo fiore di sua gioventù; e siccome per alleviamento de' suoi laboriosi studj non gli dispiaceva talora il libero, ed allegro conversar con gli amici, al che era anche per se stesso naturalmente inclinato, così fu da questi una sera dopo aver lietamente insieme cenato, condotto in casa di una pubblica Donna; ma quivi, allorchè tutti sollazzevoli, e con giocosi motti, e novelle passavan l'ore, Egli presa fra le mani l'immagine d' un Crocifisso, che stava esposta sovra d' un tavolino, e rivolto alla Giovane, accompagnando con un grave tuono di voce il fervore, e l' energia dello spirito, così efficacemente si prese a riprendere la mal consigliata vita di lei, ed il pericolo, in cui era, di perdersi eternamente, che ella tocca nel più vivo del

cuore, gettatasi ginocchioni, con amarissime lagrime detestò il suo errore, e promise di farne una stabile emenda con edificazione, e compungimento di tutti quelli, che di tal fatto furono spettatori. La mattina per tempo portatasi la Donna alla Casa de' Salviati, e narrato alla Marchesa l' accidente occorso, chiese il MENZINI, perchè essendo Egli stato quello, che aveale mostrata la prima via di salvarsi, assumesse parimente il pensiero di porla co' consigli, e con gli ammaestramenti in uno stato di più sicura salvezza: ma questi non fidandosi della sua ancor troppo fresca giovanezza, rispose, che tale impresa era più propria di Religioso consumato nell' esperienza, e nell' età, che di lui; e che tutto quello che poteva contribuire; si era qualche soccorso di poco danaro. Perlochè venduti immantinente tutti i suoi Libri, ne consegnò il prezzo alla Marchesa, che aggiunto ad altri atti di liberalità della medesima, riparò al bisogno della Giovane, la quale senza altro indugio abbandonato il Mondo, fecesi Monaca. Questa così nobile azione accrebbe non poco il concetto, e la stima della sua virtù, e del suo pronto, e svegliato spirito, onde se ne attendeva ben tosto corrispondente il frutto: nè andò guari, che

restò appagata l'aspettativa degli Studiosi. Il primo saggio d'ingegno adunque che il MENZINI esponesse alla luce, e che egli veramente approvasse per suo, fu un Libro di varie nobilissime POESIE LIRICHE TOSCANE stampato in Firenze l'anno 1680. della età sua 34. insieme con alcuni OPUSCOLI LATINI (non avendosi in considerazione alcune poche Rime, che Egli mandò alle stampe l'anno 1674. si perchè in questa nuova edizione riportò gran parte di esse migliorate, sì anche perchè non riuscirono di suo intiero gusto, come si riconosce dal Libro dell'ELEGIE, che stampò poi in Roma l'anno 1697. dove inserì il Catalogo delle sue Opere, tra le quali non pone questo Libretto) ed ancorchè Egli riputasse forse miglior opera il dar fuori per allora le sole PROSE LATINE dette di sopra, per conformarsi con l'istituto, che preso avea di Lettore di Rettorica; nondimeno per secondare i consigli del Dott. FRANCESCO REDI, Soggetto di non mai abbastanza lodata Filosofia, ed Erudizione, e suo grandissimo amico, da i conforti del quale egli era stato molto prima stimolato a darsi intieramente al Poetar Toscano, risolvette di unire insieme con esse anche le TOSCANE POESIE; anzi a queste nel Libro diede il primo luogo. Che poi il REDI,

16

suddetto riconoscesse in questo Giovane una forte immaginativa, atta a crear nobili idee, e pensieri, e una viva inclinazione, che fin da i più teneri anni il portava a conversar con le Muse, e che quindi si movesse a fargli animo di seguir così nobile impresa, ed instinto, ne furono causa alcuni giovani suoi coetanei, da i quali essendo burlato come componitore di versi vano, e ridicolo, eccitarono nel medesimo REDI la curiosità di conoscerlo. Ed essendogli condotto avanti da i medesimi, egli come ottimo discernitore di sì fatta materia lo richiese di qualche suo Componimento; a cui soddisfacendo il MENZINI con recitargliene alcuni, approvò il REDI lo stile, l' ingegno, e dentro di se forte il commendò. Dipoi rivolto a quella malaccorta Gioventù, disse loro: *Voi di costui vi ridete, ed io mi rido di voi; perciocchè questi compone in maniera, che di lui è per uscirne un gran Poeta.* Lo stesso confermò al medesimo, ed esortollo a studiare, che egli sarebbe per divenire eccellente. Il che ne fa indubitata fede lo stesso MENZINI nella Canzone prima del Lib. 2. delle Poesie Liriche, la quale avendo dedicata al Redi, così rammemora l' impulso datogli:

Diasi lode al mio REDI: egli promise,
Ch' un giorno avrei Corona,
Se all' Argivo Elicona
Il piè volgea, dove a me il Cielo arrise.
Nel Tempio del mio cuor sacrai suo
Che sembreria sciocchezza (detto:
Di ciò, che piu s' apprezza,
Non averne quaggiù fervido il petto.
Io prestai fede al vero,
Poi mossi al gran sentiero.

E nell' Elegia prima del secondo Tomo comprovando questo suo genio alla Poesia, così di se, e de' suoi Studi ragiona:

Qual mi accolsero un dì le Muse amiche
Ben mi ricorda, e come nato appena
Me per campagne sen portaro apriche.

Uscirono adunque l' anno 1680. le sue prime POESIE LIRICHE in Firenze sotto nome di BENEDETTO FIORENTINO, le quali per mostrare in parte la vera gratitudine dell' animo suo, e corrispondere agli atti di beneficenza, che ricevuti aveva dal sopraccennato March. GIO. VINCENZIO SALVIATI, a lui dedicò; e godè con tale occasione per mezzo della Lettera, che va in fronte del Libro al medesimo indirizzata, d' attestare al Mondo gli obblighi, che gli aveva con tai sentimenti: *Al merito singolare di VS. Illustriss. al quale debbo tutto me stesso, consagro la presente fatica*. E poco più sotto: *Comunque ciò sia,*

egli mi basterà la consecuzione d' un onorato fine, che è quello stesso di mostrare al meglio, che io posso, la divozione dell' animo mio a VS. Illustriss. unico sostegno, siccome in questo, così degli altri miei Studj; a i quali avrebbe l' invidia inaridito ogni più lieto germoglio, se la di lei mano cortese non l' avesse o riparata, o ripresa. Questo parto della sua mente fu ricevuto dalla Repubblica Letteraria con molto applauso; e ben lo meritava, posciachè, come ognuno può per se stesso vedere, per sentimenti or gravi, or gentili, proporzionati agli argomenti, che tratta, per nobiltà, e nuove forme di dire, per l' uguaglianza dello stile, ed in somma per una felicità maravigliosa nello spiegarsi, può francamente reggere al confronto, non che de'moderni, di molti de'migliori antichi Scrittori. Ma sopra il tutto leggiadrissime, e pellegrine sono le ANACREONTICHE, con le quali s' ingegnò d' emulare il CHIABRERA, di cui mostrò sempre, così ne' detti, come negli scritti, d' avere una somma, e parzialissima stima; ed il rinomato REDI nel *Bacco in Toscana* non dubitò di attestare, che il MENZINI in tal modo di verseggiare fosse riuscito ammirabile, in questi versi:

E Quei, che in prima in leggiadretti versi
Ebbe le Grazie lusinghiere al fianco:

E poi pel suo gran Cuore ardito, e franco
Vibrò suoi detti in fulmine conversi,
IL GRANDE ANACREONTICO AMMIRABILE
MENZIN, che splende per Febèa ghir-
Di satirico fiele atra bevanda (landa,
Mi porga.

